


MONOGRAPHIAE
BOTANICAE.

Viro amicissimo

A. A. Dupetit-Thouars

Auctor.

Prostat:

Burdigalae, apud auctorem, via Joannis Jacobi Roussavii.

Lutetiae Parisiorum, apud Treuttel et Würtz.

Florentiae, apud Molini Landi et Co.

Amstelodami, in taberna libraria: vulgo *Kunst- und Industrie-Comptoir* nuncupata.

Holmiae, apud A. Wiborg.

Petropoli, apud Klostermann.

GRAMINUM

MONOGRAPHIAE.

AUCTORE

D. JOANNE FLÜGGÉ.

PARS I.

PASPALUS. REIMARIA.

HAMBURGI,

IMPENSIS F. PERTHES ET J. H. BESSER.

1810.

VIRIS DOCTISSIMIS

BOTANICIS CLARISSIMIS

J. C. D. v. SCHREBER

ACADEMIAE CAESAREAE NATURAE

CURIOSORUM PRAESIDI

PROFESSORI BOTANICES ERLANGENSI.

O. SWARTZ

PROFESSORI BOTANICES HOLMIENSI.

C. L. WILLDENOW

PROFESSORI BOTANICES BEROLINENSI.

HOCCE OPUSCULUM

d. d. d.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Doctorum Virorum in investigandis domesticis Graminibus eorumque historia collustranda, quam sit egregie inde ab aliquot annis versata diligentia, abunde inter omnes constat. Quod utinam de peregrinis plantis culmiferis praedicare liceret: quarum, etsi terrae trans Oceanum sitae in dies magis e tenebris quasi in lucem emergunt, si ab aliquot iisque quam maxime vulgaribus graminum speciebus discesseris, vix una alterave adhuc nobis rite innotuit. Quae vero in lucem protractae sunt species, in his, quoniam idoneae descriptiones ac delineationes desiderabantur, non semel factum est, ut aut quae jam descriptae essent,

tamquam incognitae proponerentur, aut quarum nulla dum ad nos notitia pervenerat, in descriptarum numero haberentur: quae quidem rerum confusio in quibusdam generibus, v. c. *Panico* adeo accrevit, ut ex hoc quasi labyrintho exitum reperire, Herculeus sane labor esse videatur. Quo accedit incredibilis novarum et incognitarum plantarum copia, quae profecto tanta est, ut de juste adornanda historia plane nulla spes sit, nisi totum opus denuo inchoetur, firmiorique, quam hactenus fieri consuevit, fundamento superstruatur. Quod cum facere conarer, non tamen nullam superiorum curarum rationem habendam esse duxi, ut potius omnis fuerim in congerendis comparandisque, quotquot de hoc genere exstant, lucubrationibus. Ne autem, aliorum errores corrigendo, ipse in scopulos inciderem, hanc legem

mihi scripsi, ut, nisi quas ipsemet ad manus haberem, nullas in has litteras referrem species; in quo quidem non magis dissentientes mecum intelligentes arbitros habiturus esse mihi videor quam in appellationum delectu, quem ita feci, ut nisi quas justas esse exploratum haberem, nullas assumerem.

Quod vero pristina nomina in aliquot locis cum novis commutavi, sane non hac mente feci, ut prorsus abolerentur, sponte mea omissurus, simulac illa eodem quo haec pertinere persuasus fuero. Ceterum pro communibus nominibus non nisi ea elegi, quibus adhuc nemo in libris super hac re scriptis usus est, quod mihi necessarium visum fuit ad declinandas, quae forte oriri possent, dubitationes.

Ad descriptiones ipsas quod attinet, maxime id spectavi, ut comparatione facta singularum plantarum natura

luculenter appareret; quod si non omni ex parte effeci, in posterum, quae desiderantur, supplebo, ut plurium exemplorum e variis regionibus copia mihi dabitur.

Operis initium feci a descriptione Generum Paspali et Reimariae, quam Panici et Cenchri descriptio sequetur, ut primum de obscuris aliquot speciebus certior ratio constabit. Interim, si qui sunt, qui cupiant has plantas cognoscere, iis opera mea parata erit in componendis definiendisque graminum, quae dixi, collectionibus. Quam dum iis offero, maximas quas possum gratias ago Viris praeclarissimis et amicissimis, qui tum Museorum botanicorum usuram humanissime mihi concesserunt, tum peregrinantem me doctrina et vario officiorum genere ornarunt. Jure meo laetor de tanto Spectatissimorum et Ingeniosissi-

morum Virorum numero, quorum amicitiam conciliare mihi contigit: *Anthony*, *Armano*, *Balbis*, *Bannal*, *Barbier*, *Barera*, *Basquiat*, *Beaussant*, *Bellardi*, *Berger*, [*Bernhardi*]* *Biber*, *Blandow*, *Bonafos*, *Bonpland*, *Bory de St. Vincent*, *Bosc d'Antic*, *Bouchet*, *Boyer*, *Brückner*, *v. Braune*, *Buch*, *v. Buch*, *Bueckii pater et filius*, *Capon*, *Cels*, *Clarion*, *Colsmann*, *Corraea de Serra*, *Dargelas*, *Decandolle*, *Degland*, *Delarbre*, *Deleuze*, *Delisle*, *Dennstaedt*, *Desfontaines*, *Desportes*, *Detharding*, *Dreves*, *Dufour*, *Dupetit-Thouars*, *Dupuis*, *Dupuy*, *Durazzo*, *Dutrouilh*, *Duval*, *Esper*, *Faber*, *Ferrière*, *Fischer*, *Flörke*, *Forbin de Gardane*, *Funk*, *Gaertner* (Calviensis), *Gaertner* (Hanoviensis), *Gardeil*, *Gerlach*, *Gilibert*, *Girard*, *Gochnat*, *v. Goethe*, *Gouan*, *Gouffé la Cour*, *Gräver*, *Granier*, *Guerin*, *Hayne*, *Hecht*, *Heim*, *Hell-*

wig, Hermes, Hofmann, Hoffmann-Bang, v. Hoffmannsegge, Homann, Hoppe, Host, v. Humboldt, v. Jacquin, Jaume St. Hilaire, Illiger, Jurine, de Jussieu, Kitaibel, Koch, Kohlhaas, Krause, Krocker jun., Labillardière, Lacoste de Plaisance, Lajard, de Lamark, Lamothe du Gravier, [Lamouroux] Langsdorf, Lasalle, Latapie, Leisler, v. Leysser, Lichtensteinii, pater et filius, Link, Liottard, Loiseleur-Deslongchamps, Mac-Carthy, Macquet, Martin, Martius, Massé, Mavors, Mayer, Mertens, Meyer, Meyerhoff, Mirbel, Mikan jun., Moldenhaveri fratres, v. Moll, Mouret, Mouton de Fontenille, Mügge, Mumsen, Necker de Saussure, Nees, Neuenhahn, Neumann, Neuschild, Nocca, Olivier, Pagès-Carrière, Palissot-Beauvois, Panzer, Patrin, Pech, Pellicot, Persoon, Petersen, Picot-Lapeyrouse senior, Picot-Lapeyrouse junior, Piotta,

Poiteau, *Poiret*, *Prié*, *Priehn*, *Ramond de Carbonière*, *Rebentisch*, *Redouté*, *Reimarus*, *Richard*, *Ritter*, *Rohde*, *Rostkovius*, *Roth*, *Roubieu*, *Rudolphi*, *Rühlmann*, *Saint-Amans*, *Scanagati*, *Schaake*, *Schenk*, *Scherbius*, *Schkuhr*, *v. Schlechtendahl*, [*Schleicher*] *Schmeisser*, *Schnaubert*, *Schneidtler*, *Schrader*, (Berolinensis) *Schrader*, (Göttingensis) *v. Schreber*, *Schröder*, *Schwägrichen*, *Schubert*, *Schulze*, *Seidel*, *Serre*, *Sprengel*, *Staudinger*, *Stromeyer*, *v. Studnitz*, [*Swartz*,] *Sybel*, *Tatart*, *Teissier*, *Thomas*, *Thouini fratres*, *Thuillier*, *Thyllaye*, *Timm*, *Tournon*, *Trattinick*, *Treviranus*, [*Turner*] *Turpin*, *Vater*, *Villars*, *Vitman*, *Viviani*, *Voigt*, *Wagener*, *v. Waldtstein*, *Warnekind*, *Weber junior*, *v. Wedel*, *Wendland*, *Wibel*, *Willbrand*, *Willdenow*, *Wolf* et *Zea*.

Addo his nomina Elegantissimarum Feminarum, in quibus singulare rei herbariae studium cognoscere mihi licuit: *Borgelas*, *Coutié*, *Fairmann*, *Ferrière*, *Leblond*, *Meyer*, *Moermann* et *Necker de Saussure*.

Quibus omnibus mei memoriam commendans a Deo O. M. quam ardentissime expeto, ut diu salvos sospitesque esse velit, ne ex pluribus capiendum mihi sit desiderium, quod jam ex bene multis cepi doctissimis viris, praematura morte literario orbi ac mihi ereptis: *Allionio*, *Batschio*, *Blottnero*, *Borkhausio*, *Cavanillio*, *Celsio*, *Drapernaldio*, *Forstero*, *Giseckio*, *Hedwigiis patre et filio*, *Koehlero*, *Medico*, *Mohrio*, *Nicodemio*, *Noedenio*, *Pansino*, *Thollono*, *Timmio* et *Ventenatio*.

Dabam Hamburgi d. 31 Dec. 1809.

F.

AUCTORES CITATI.

Nota. Hoc indice continentur non modo ea scripta, quae in praesenti libello excitavi, sed etiam ea, quibus in descriptionibus Generum Panici et Cenchri usus sum.

Act. Helv. Acta Helvetica physico-mathematico-anatomico-botanico-medica, figuris aeneis illustrata. Vol. 7mum. Basil. 1772. in 4to.

Act. Soc. Linn. Lond. Transactions of the Linnean Society. Vol. 1-6. Lond. 1791—1802. cum tabulis aeneis. in 4to.

Act. Soc. Nat. Par. Actes de la Société d'histoire naturelle de Paris. Tome I. P. I. cum tabulis aeneis 13. à Paris 1792. in folio.

Adans. Fam. Familles des plantes, par Adanson. Vol. I. II. à Paris 1763. in 8vo.

Ait. Hort. Kew. Hortus Kewensis or a Catalogue of the plants cultivated in the royal botanic garden at Kew. By William Aiton. Vol. I—III. cum tabulis aeneis. Lond. 1789. in 8vo.

All. Fl. Ped. Flora Pedemontana, auctore Car. Allionio. Vol. I-III. cum tabulis aeneis 92. Augustae Taurinor. . 1785. in folio.

Ard. Animadv. P. Arduini Animadversionum botanicarum Specimen I. Patavii 1759. Specim. II. Venetiis 1764. in 4to.

Aubl. Hist. Histoire des Plantes de la Guiane françoise, ornée de près de quatre cents planches. Par Fusée Aublet. Tome I. II.

à Londres et Paris 1775. in 4to.

J. Bauh. Hist. Historia Plantarum universalis, auctoribus Joh. Bauhino et Joh. Henr. Cherlero. Tom. I—III. Ebroduni 1650-51. in folio.

Bauh. Pin. Caspari Bauhini Pinax Theatri botanici. Basileae 1671. in 4to.

Bauh. Theatr. Casp. Bauhini Theatri botanici liber primus, editus cura Jo. Caspari Bauhini. Basileae 1658. in folio.

Beauv. Fl. Owar. Flore d'Oware et de Benin en Afrique. Par A. M. F. I. Palisot-Beauvois. à Paris 1804. cum tabulis aeneis coloratis 60. in folio.

Beckm. Lex. Jo. Beckmanni Lexicon botanicum, exhibens etymologiam, orthographiam et

prosodiam nominum botanicorum. Gött. 1801. in 8vo.

Bieberstein Fl. Taur. Flora Taurico-Caucasica, exhibens stirpes phaenogamas in Chersoneso Taurica et regionibus caucasicis sponte crescentes. Auctore L. B. Fr. Marschall a Bieberstein. Tom. Ius. Charkouiae 1808. in 8vo.

Bocc. Mus. Museo di Piante rare della Sicilia, Malta, Corsica, Italia, Piemonte e Germania di Paulo Boccone. In Venetia, 1697. in 4to.

Bory Itin. Voyage dans les quatre principales isles des mers d'Afrique pendant les années 1801 et 1802 par J. B. G. M. Bory de St. Vincent. Tome I—III. avec 58 planches. à Paris 1804. in 8vo.

Bot. Mag. Magazin für die Botanik, herausgegeben von J. J. Römer und Paul Usteri. Vier Bände. Zürich 1787 — 90. in 8vo.

Brown. Jam. The civil and natural history of Jamaica; with fifty Copper-Plates. By Patrick Browne. London 1756. in folio.

Burm. Fl. Ind. Nic. Laur. Burmanni Flora Indica: cui accedit series Zoophytorum nec non Prodromus Florae capensis. Lugd. Bat. et Amstelod. 1768. cum tabulis aeneis 67. in 4to.

Burm. Thes. Zeyl. Thesaurus Zeylanicus, exhibens plantas in Insula Zeylona nascentes. Cura et studio Jo. Burmanni; cum tabulis aeneis 110. Amstel. 1737. in 4to.

Buxb. Cent. Plantarum minus cognitarum Centuria I—V., complectens plantas circa Byzantium et in Oriente observatas per J. C. Buxbaum. Petropoli 1728—40. in 4to.

Cam. Epit. De Plantis Epitome Petr. Andr. Matthioli, novis iconibus locupletata a Joach. Camerario. Francof. 1586. in 4to.

Cav. Ic. Ant. Jos. Cavanilles Icones et Descriptiones Plantarum, quae aut sponte in Hispania crescunt aut in hortis hospitantur. Vol. I—VI. Matriti, 1791—1801. cum tabulis aeneis 600. in fol. min.

Chabr. Sciagr. Stirpium Icones et Sciagraphia, authore Dominico Chabraeo. Genevae 1666. in folio.

Clus. Hist. Caroli Clusii Atrebatis rariorum plantarum historia. Antverpiae 1601. in folio.

Curt. Fl. Lond. Flora Londinensis by William Curtis. Fasc. 1 — 60. London 1776. in folio.

Dalech. Hist. Historia generalis plantarum Vol. I. Lugduni apud Guil. Rouillium. 1587. Vol. II. Ib. 1586. in folio.

Decand. Fl. fr. Flore françoise ou descriptions succinctes de toutes les plantes qui croissent naturellement en France. Par de Lamark et Decandolle. Tome I — IV. à Paris 1805. in 8vo.

Decand. Syn. Synopsis Plantarum in Flora Gallica descriptarum; auctoribus J. B. de Lamark et A. P. Decandolle. Paris. 1806. in 8vo.

Desf. Fl. Atl. Flora Atlantica sive Historia Plantarum quae in Atlante, agro Tunetano et Algeriensi crescunt, auctore R. Desfontaines. Tom. I-II. cum tabulis aeneis. Parif. 1800. in 4to.

Dod. Pempt. Remberti Dodonaei stirpium historiae Pemptades sex. Antverp. 1583. in folio.

Durant. Hort. Herbario novo di Castore Durante. In Venetia 1617. in folio.

Ehret. Pict. Plantae et Papiliones rariores depictae et aeri incisae a Ge. Dion. Ehret. 1748. Tabulae aeneae coloratae 12, in fol. maj.

Ehrh. Beytr. Beyträge zur Naturkunde und den damit verwandten Wissenschafften, von Fr. Ehrhart. 7 Bände.

Hannover 1787. ſqq. in 8vo.

Enc. Meth. Encyclopédie méthodique. Botanique par Lamark. Tome I—IV. à Paris 1783 — 1804. Tome V — VIII. par J. L. M. Poiret. Ibid. 1805 — 1808. in 4to.

Fl. Dan. Flora Danica. 1 — 9ter Heft, herausgegeben von G. C. Oeder. 10 — 15ter Heft von O. F. Müller. 16—21ter Heft von M. Vahl. 22 u. 23ter Heft von J. W. Hornemann. Mit 1380 Kupfertafeln. Copenhagen 1766—1808. in folio.

Fl. Graec. Prodr. Florae Graecae Prodromus: sive plantarum omnium enumeratio, quas in provinciis aut insulis Graeciae invenit Jo. Sibthorp. Characteres et Synonyma omnium

cum annotationibus elaboravit Jac. Ed. Smith. Vol. I. Lond. 1806. in 8vo.

Fl. Peruv. Flora Peruviana et Chilensis sive descriptiones et icones plantarum peruvianarum et chilensium, auctoribus Hippolito Ruiz et Josepho Pavon. Tom. I—III. cum tabulis aeneis coloratis 324. s. l. 1798—1802. in folio.

Forsk. Fl. Aeg. Flora aegytiaco-arabica, sive descriptiones plantarum, quas per Aegyptum inferiorem et Arabiam felicem detexit P. Forskål; edidit C. Niebuhr. Haun. 1775. in 4to.

Forst. Prodr. Florulae Insularum australium Prodromus, auctore Georgio Forster. Gott. 1786. in 8vo.

Fuchs. Hist. De historia stirpium Com-

mentarii insignes, Leonharto Fuchsio autore. Basil. 1542. in folio.

Gaertn. Fruct. Jos. Gaertner de fructibus et seminibus plantarum. Vol. I. cum tabulis aeneis 79. Stuttgard. 1788. Vol. II. cum tabb. 101. Tubing. 1791. in 4to.

Ger. Hist. The Herball or generall historie of Plantes. Gathered by John Gerarde. Enlarged by Th. Johnson. Lond. 1633. in folio.

Gmel. Syst. Nat. Car. a Linné Systema Naturae. Editio decima tertia, cura J. F. Gmelin. Tom IIus. Lips. 1791. in 8vo.

Gmel. Tubing. Enumeratio stirpium agro Tubingensi indigenarum, auctore J. F. Gmelin. Tubing. s. a. in 8vo.

Gron. Virg. Flora Virginica, exhibens plantas, quas Jo. Clayton in Virginia observavit. Easdem methodo sexuali disposuit Jo. Fr. Gronovius. Pars I — II. Lugd. Bat. 1743. in 8vo. Edit. 2da. Ibid. 1762. in 4to.

Hall. Hist. Alb. v. Haller Historia stirpium indigenarum Helvetiae inchoata. Tom. I — III. Bernae 1768. cum tabb. aen. in folio.

Heim Bot. Der Botaniker oder compendiöse Bibliothek alles Wissenswürdigen aus dem Gebiete der Botanik. Heft 1 bis 18. Gotha u. Halle 1793 bis 96. in 8vo.

Honk. Verz. Vollständiges systematisches Verzeichniſs aller Gewächse Deutschlands (von Honkeny). Leipz. 1782. in 8vo.

Host. Gram. Nic. Thom. Host Icones et descriptiones graminum austriacorum. Vol. I—III. Vindob. 1801—1805. in folio.

Host. Syn. Nic. Thom. Host Synopsis Plantarum in Austria provinciisque adjacentibus sponte crescentium. Vindob. 1797. in 8vo.

Houtt. Pfl. Syst. Carl von Linné Pflanzensystem nach der vierzehnten lateinischen Ausgabe und nach Anleitung des holländischen Houttuynischen Werkes übersetzt (von Panzer). Zwölfter Theil mit 7 Kupfertafeln. Nürnberg 1785. in 8vo.

Jacq. Coll. Nic. Jos. Jacquin Collectanea ad Botanicam, Chemiam et Historiam naturalem spectantia. Cum figuris. Vol. I—IV. Vindob. 1786—90. in 4to.

Jacq. Coll. Suppl. Ejusdem Collectaneorum Supplementum. Cum ſiguris coloratis. Vindob. 1796. in 4to.

Jacq. Ic. rar. Ejusdem Icones plantarum rariorum. Tom. I—III. Vindob. 1781—93. in folio.

Jacq. Miscell. Ejusdem Miscellanea austriaca ad botanicam, chemiam et historiam naturalem spectantia. Cum figuris partim coloratis. Vol. I. II. Vindob. 1778—81. in 4to.

Jacq. Obs. bot. Ejusdem Observationum botanicarum iconibus ab auctore delineatis illustratarum Pars I—IV. Vindob. 1764—71. in folio.

Juss. Gen. Antonii Laurentii de Jussieu Genera Plantarum, secundum ordines naturales disposita. Parif. 1789. in 8vo.

Kaempf. Amoen. Amoenitatum exoticarum Fasciculi V. Auctore Engelb. Kaempfero. Lemgoviae 1712. in 4to.

Kerner Oec. Pfl. Jo. Sam. Kerners Abbildung aller oekonomischen Pflanzen. 5 Bände. Stuttgard 1786—92. Mit 500 Kupfertafeln. in 4to.

Kniph. Cent. Jo. Hier. Kniphofii Botanica in originali. Cent. I—XII. Halae 1759—61. in folio.

Koehl. Gram. Ge. Lud. Koehleri descriptio graminum in Gallia et Germania nascentium. Francof. 1802. in 8vo.

Krocker Fl. Siles. Ant. Jo. Krocker Flora Silesiaca. Vol I. II. c. tabulis aeneis. Vratislaviae 1787—90. in 8vo.

Lam. Ill. Tableau encyclopédique et

méthodique des trois regnes de la nature. Botanique par M. de la Mark. Avec 900 planches. à Paris 1791—93. in 4to.

Leers. Fl. Herb. Jo. Dan. Leers Flora Herbornensis. Cum tabulis aeneis. Herborn. 1775. in 8vo.

Linn. Amoen. acad. Caroli Linnéi Amoenitates academicae. Cum tabulis aeneis. Vol. I—VII. Holm. 1749-69. Vol. VIII-X. edidit Jo. Christ. Dan. Schreber. Erlangae 1785-90. in 8vo.

Linn. Fl. Zeyl. Caroli Linnaei Flora Zeylanica. Cum tabulis aeneis 4. Holm. 1747. in 8vo.

Linn. Gen. Pl. Caroli v. Linné Genera Plantarum. Edit. 6ta. Holmiae 1764. in 8vo.

Linn. Hort. Cliff. Hortus Cliffortianus plantas exhibens, quas in hortis tam vivis quam siccis

Hartecampi in Hollandia coluit Ge. Clifford. Auctore C. Linnaeo. Cum tabulis aeneis. Amstelod. 1737. in folio.

Linn. Hort. Ups. Caroli Linnaei Hortus Upsaliensis. Vol. I. Stockholmiae 1748. in 8vo.

Linn. It. Scan. Carl Linnaei Versuche einer Natur - Kunst - und Oeconomie-Historie von einigen Schwedischen Provinzen. Leipzig 1756. in 8.

Linn. Mant. I. Car. a Linné Mantissa Plantarum generum editionis VI et specierum editionis II. Holm. 1767. in 8vo. (etiam exstat in Syst. Nat. ed. 12. Vol. 2do.)

Linn. Mant. II. Car. a Linné Mantissa plantarum altera generum ed. VI et specierum edit. II. Holm. 1771. in 8vo.

Linn. Sp. Pl. ed. I. C. Linnaei Species Plantarum. Tom. I. II. Holm. 1753. in 8vo.

Linn. Sp. Pl. ed. II. C. Linnaei Species Plantarum. Edit. 2da. Tom. I. II. Holm. 1762. in 8vo.

Linn. Syst. Nat. C. a Linné Systema Naturae ed. 12. Tom. I. II. Holm. 1767. in 8vo.

Linn. fil. Suppl. Supplementum Plantarum systematis vegetabilium editionis decimae tertiae, generum plantarum editionis sextae et specierum plantarum editionis secundae. Editum a C. a Linné fil. Brunsv. 1781. in 8vo.

Lob. Advers. Dilucidae simplicium medicamentorum explicationes et stirpium Adversaria. Authoribus Petro Pena et Matthia de l'Obel. Lond. 1605. in folio.

Lob. Ic. Icones stirpium seu plantarum tam exoticarum quam indigenarum in duas partes digestae. Antverp. 1591. in 4to oblongo.

Lonic. Hist. Adami Loniceri vollständiges Kräuterbuch, herausgegeben von Balthasar Ehrhart. Ulm 1737. in folio.

Lour. Fl. Cochinch. Flora Cochinchinensis, sistens plantas in regno Cochinchina nascentes, quibus accedunt aliae observatae in Sinensi imperio, Africa orientali, Indiaeque locis variis; labore ac studio Jo. de Loureiro, edita cum notis C. L. Willdenow. Vol. I. II. Berol. 1793. in 8vo.

Matth. Comm. Petri Andreae Matthioli Opera omnia, edid. Casp. Bauhinus. Basil. 1674. in folio.

Mich. Fl. Americ. Flora boreali-americana, auct. Andr. Michaux. Cum tabulis aeneis 51. Tom. I. II. Parif. 1803. in 8vo.

Moench. Meth. Methodus plantas horti botanici et agri Marburgensis a staminum situ describendi, auctore Conrado Moench. Marburgi 1794. in 8vo.

Moench. Suppl. Conr. Moench Supplementum ad methodum plantas a staminum situ describendi. Marburgi 1802. in 8vo.

Moris. Hist. Plantarum historiae universalis Oxoniensis Tom. II-III. Auctore Rob. Morison. Cum tabulis aeneis. Oxon. 1680—1699. in folio.

Murr. Syst. Veg. Car. a Linné Systema Vegetabilium. Edit. XIV. curante Jo. Andr. Murray. Gotting. 1784. in 8vo.

Naturf. Der Naturforscher. 1—23tes Stück. Halle 1744—1799. in 8vo.

Pancov. Herb. Thomae Pancovii Herbarium, edid. Balthasar Zorn. Cölln an der Spree 1673. in 4to.

Park. Theatr. Theatrum botanicum, by John Parkinson. Lond. 1640. in folio.

Pers. Syn. Synopsis Plantarum seu Enchiridion botanicum, cur. C. H. Persoon. Pars I. II. Parisiis 1805—1807. in 8vo.

Petiv. Op. Jacobi Petiveri Opera Historiam naturalem spectantia. Cum tabulis aeneis. Vol. I. II. Lond. 1767. in folio.

Pluk. Alm. Almagestum botanicum sive Phytographiae Pluc'netianae Onomasticon. Lond. 1696. in fol. min.

Pluk. Amalth. Leonardi Plukenetii Amaltheum botanicum. Cum tabulis aeneis. Lond. 1705. in fol. min.

Pluk. Mant. Almagesti botanici Mantissa. Cum tabulis aeneis. Lond. 1700. in fol. min.

Pluk. Phyt. Leonardi Plukenetii Phytographia. Pars I—IV. Cum tabulis aeneis. Lond. 1691-96. in fol. min.

Plum. Cat. Catalogus Plantarum Americanarum in Plumierii Novis plantarum americanarum generibus. Cum tabulis aeneis 40. Paris. 1704. in 4to.

Poir. Iter. Reise in die Barbarey, oder Briefe aus Alt-Numidien, von Poiret. Aus dem Französischen übersetzt. Mit Kupfertafeln. 2 Theile. Strasburg 1789. in 8vo.

Poll. Fl. Pal. Jo. Ad. Pollich Historia plantarum in Palatinatu electorali sponte nascentium. Tom. I—III. Mannh. 1776-78. in 8vo.

Raji Hist. Benj. Raji Historia Plantarum. Tom. I—III. Lond. 1686—1704. in folio.

Rebentisch. Prodr. Prodromus Florae Neomarchicae, auctore Jo. Fr. Rebentisch, cum praefatione C. L. Willdenow. Cum tabulis aeneis 4. Berol. 1804. in 8vo.

Regensb. bot. Zeit. Botanische Zeitung, herausgegeben von der botanischen Gesellschaft in Regensburg. Regensburg, 1802 sqq. in 8vo.

Reich. Syst. Pl. Car. a Linné Systema Plantarum, curante J. J. Rei-

chard. Pars I—IV. Francof. 1779—80. in 8vo.

Retz. Obs. bot. Andr. Jo. Retzii Observationes botanicae, sex fasciculis comprehensae. Cum tabulis aeneis. Lips. 1779-91. in folio.

Rheed. Hort. Mal. Hortus indicus malabaricus, auctore Henr. van Rheede van Draakenstein. Vol. I—XII. Cum tabulis aeneis. Amstel. 1678—92. in folio.

Roemer. Coll. Collectanea ad omnem rem botanicam spectantia, edidit J. J. Roemer. Cum tabulis aeneis. Turici 1809. in 4to.

Roth. Cat. bot. Catalecta botanica, auctore Alb. Guil. Roth. Fasc. I—III. Cum tabulis aeneis. Lips. 1797—1806. in 8vo.

Roth. Fl. Germ. Alb. Guil. Rothii Tentamen Florae Germanicae.

Tom. I—II. Lips. 1788—93. in 8vo.

Rottb. Pl. Surinam. Chr. Fr. Rottböll Descriptiones plantarum Surinamensium, cum fragmento materiae medicae et oeconomicae Surinamensis. Editio prima in actis literariis universitatis Hafniensis. Hafn. 1778. in 4to. Editio secunda. Hafn. 1798. in folio. Cum tabulis aeneis V.

Roy. Fl. Leyd. Adr. van Royen Florae Leydensis Prodromus, exhibens plantas quae in horto academico Lugduno-Batavo aluntur. Lugd. Batav. 1740. in 8vo.

Rumph. Herb. Amb. Herbarium Amboinense, auct. Ge. Everh. Rumphio. Cum tabb. aen. Vol. I-VI. Amstel. 1741-50. in folio.

Rupp. Fl. Jenens. Alb. Haller Flora Jenensis Henr. Bern. Ruppii aucta et emendata. Cum tabulis aeneis. Jenae 1745. in 8vo.

Scheuchz. Agrost. Agrostographia sive Graminum, Juncorum, Cyperorum, Cyperoidum, iisque affinium Historia. Authore Jo. Scheuchzero. Tiguri 1719. Cum tabulis aeneis XI. in 4to.

Schkuhr Handb. Botanisches Handbuch der mehresten theils in Deutschland wild wachsenden, theils ausländischen in Deutschland unter freyem Himmel ausdauernden Gewächse, von Chr. Schkuhr. Mit vielen Kupfertafeln. 3 Theile. Leipzig 1804 sqq. in 8vo.

Schrad. Fl. Germ. Flora germanica,

autore H. A. Schrader. Vol. I. cum tabulis aeneis VI. Gottingae 1806. in 8vo.

Schrader neues Journ. Neues Journal für die Botanik, herausgegeben vom Professor Schrader. Band I. II. Mit Kupfertafeln. Erfurt 1805 — 1807. in 8vo.

Schreb. Gen. Pl. Car. a Linné Genera Plantarum, editio octava curante J. C. D. Schreber. Vol. I. II. Francof. 1789-91. in 8vo.

Schreb. Gram. Jo. Chr. Dan. Schrebers Beschreibung der Gräser nebst ihren Abbildungen nach der Natur. Erster Theil. Leipz. 1769. Zweyter Theil (3te Ausgabe) Ib. 1779. in folio. Mit 40 Kupfertafeln.

Schult. Obs. bot. J. A. Schultes Observationes botanicae in Linnaei

Species plantarum ex editione C. L. Willdenow. Oeniponti 1809. in 8vo.

Schweigg. Fl. Erl. Specimen Florae Erlangensis. Autore Aug. Frid. Schweigger. Pars I. Erlangae 1804. in 8vo.

Scop. Fl. Carn. Jo. Ant. Scopoli Flora Carniolica. Tom. I—II. Editio secunda. Vindob. 1772. in 8vo.

Sloan. Hist. A Voyage to the islands Madera, Barbados, Nieves, St. Christophers and Jamaica, with the natural history of the herbs and trees, four-footed beasts, fisches, birds, insects, reptiles &c. of the last of those islands; by Hans Sloane. Vol. I—II. cum tabulis aeneis. London 1707-25. in folio.

Smith. Engl. Bot. English Botany; or coloured figures of British Plants, with their essential characters, Synonyms and places of growth, to which will be added occasional remarks by J. E. Smith. The figures by J. Sowerby. Vol. 1—28. London 1780—1809. in 8vo.

Smith. Fl. Brit. Flora Britannica, auctore Jac. Edu. Smith. Vol. I—III. London 1800—1804. in 8vo.

Spreng. Cent. Plantarum novarum ex herbario Sprengelii Centuriam, speciminis loco inauguralis exhibet J. F. T. Biehler. Halis Saxonum 1807. in 8vo.

Spreng. Fl. Hal. Curtii Sprengel Florae Halensis tentamen novum.

Cum iconibus XII. Halae Saxonum 1806. in 8vo.

Sturm. Fl. Germ. Deutschlands Flora in Abbildungen nach der Natur mit Beschreibungen von Jacob Sturm. Erste Abtheilung. Heft 1—27. Nürnberg 1796 — 1809. in 8vo min.

Suter. Fl. Helv. Flora Helvetica, curavit Jo. Rud. Suter. Vol. I—II. Turici 1802. in 12mo.

Sw. Fl. Ind. occ. Olavi Swartz Flora Indiae occidentalis aucta atque illustrata, sive descriptiones plantarum in Prodromo recensitarum. Tom. I—III. Erlangae 1797—1806. Cum tabulis aeneis. in 8vo.

Sw. Obs. bot. Observationes botanicae, quibus plantae Indiae occidentalis aliaeque Syste-

matis Vegetabilium ed. XIV illustrantur. Cum tabulis aeneis XI. Erlangae 1791. in 8vo.

Sw. Prodr. Nova Genera et Species Plantarum seu Prodromus descriptionum vegetabilium, quae sub itinere in Indiam occidentalem annis 1783-87. digessit Olof Swartz. Holm. 1788. in 8vo.

Tabern. Hist. Neuw vollkommentlich Kreuterbuch, durch Jac. Theod. Tabernaemontanum. Gemehret durch Casp. Bauhinum. 2 Theile. Frankfurt am Mayn 1613. in folio.

Thuill. Fl. Parif. La Flore des environs de Paris, ou Distribution méthodique des plantes qui y croissent naturelle-

ment, par J. L. Thuillier. à Paris an VII. in 8vo.

Thunb. Fl. Jap. Car. Petr. Thunberg Flora Japonica, cum tabulis aen 39. Lipſ. 1784. in 8vo.

Thunb. Prodr. Prodromus Plantarum Capensium quas in promontorio bonae spei Africes annis 1772 — 1775 collegit C. P. Thunberg. Pars I — II. Upsaliae 1794 — 1800. Cum tabulis aeneis 3. in 8vo.

Tourn. Coroll. Joſ. Pitton Tournefort Corollarium institutionum rei herbariae, in quo plantae 1356 recensentur. (in libro sequenti.)

Tourn. Inst. Ejusdem Institutiones rei herbariae. Tom. I—III. cum tabulis aeneis. Parisiis 1719. in 4to.

Trag. Comm. Hier. Tragi de stirpium, maxime earum, quae in Ger-

mania nostra nascuntur — Commentariorum libri tres, edid. Dav. Kyber. Argent. 1552. in 4to.

Usteri Ann. Annalen der Botanik, herausgegeben von Paulus Usteri. 1 — 24. Stück mit Kupfertafeln. Zürich 1792 — 1800. in 8vo.

Vahl. Symb. bot. Symbolae botanicae, sive plantarum tam earum quas in itinere, inprimis orientali, collegit Petrus Forskål, quam aliarum recentius detectarum exactiores descriptiones, nec non observationes circa quasdam plantas dudum cognitas, auctore Martino Vahl. Pars I — III. Hauniae 1790 — 94. in folio.

Vaill. Bot. Botanicon Parisiense ou dénombrement par ordre al-

phabetique des plantes des environs de Paris, par Seb. Vaillant, avec plus de 300 figures, dessinées par Cl. Aubriet. à Leyde 1727. in folio.

Vill. Hist. Histoire des plantes de Dauphiné par Villars. Tome I—III. avec 55 planches. à Grenoble 1786—89. in 8vo.

Volk. Fl. Norib. Flora Noribergensis, opera Jo. Ge. Volckameri. Cum tabulis aeneis. Norib. 1700. in 4to.

Walt. Fl. Carol. Flora Caroliniana, auctore Thom. Walter. Lond. 1788. in 8vo.

Weber. Primit. Primitiae Florae Holsaticae, auctore Fr. Henr. Wiggers. Kiliae 1780. in 8vo.

Weig. Obs. Observationes botanicae, auctore Chr. Ehrenfr. Wei-

gel. Cum tabulis aeneis 3. Gryphiswaldiae 1772. in 4to.

Wibel. Fl. Werth. Primitiae Florae Werthemensis. Auctore A. W. E. C. Wibel. Jenae 1799. in 8vo.

Willd. Enum. Car. Lud. Willdenow Enumeratio plantarum horti regii botanici Berolinensis. Berol. 1809. in 8vo.

Willd. Hort. Berol. C. L. Willdenow Hortus Berolinensis sive Icones et Descriptiones plantarum rariorum vel minus cognitarum, quae in horto regio botanico Berolinensi excoluntur. Fasc. I—VIII. Berol. 1803—1809. in folio.

Willd. Spec. Pl. Car. a Linné Species Plantarum, editio quinta, curante C. L. Willdenow. Tom. I-IV. Berol. 1797-1809. in 8vo.

Zwing. Theatr. Theodori Zwingeri Theatrum botanicum, das ist, vollkommenes Kräuterbuch, vermehrt herausgegeben von Friedrich Zwinger. Basel 1744. in folio.

PASPALUS.

PASPALUS.

CHARACTER NATURALIS LINNÉI.

Gen. pl. p. 32.

Calix. Gluma uniflora, bivalvis, membranacea: valvulis aequalibus, suborbiculatis, plano-concavis: interiore exterius posita.

Corolla. Gluma bivalvis, magnitudine vix calicis: valvulis subrotundis, cartilagineis, extus convexis, basi inflexis.

Stamina. Filamenta tria, capillaria, longitudine glumae. Antherae ovatae.

Pistillum. Germen subrotundum. Styli duo, capillares, longitudine floris.

Stigmata penicilliformia, pilosa, colorata.

Pericarpium. Glumae persistentes, clausae, semini adnascentes.

Semen unicum, subrotundum, compressum, hinc convexum.

CHARACTER NATURALIS REFORMATUS.

Calix. Glumae duae, uniflorae, clausae, muticae, valvis appressae: interior convexa: exterior planiuscula.

Corolla. Valvae duae cartilagineae, muticae aut rarius mucrone brevi terminatae: interior convexa exteriorem planiorem amplectens.

Stamina tria. Filamenta capillaria. Antherae utrinque emarginatae.

Pistillum. Ovarium compressiusculum, basi squamulis duabus cinctum. Styli duo, capillares. Stigmata penicilliformia.

Semen plano-convexum, valvis corticatum.

CHARACTER ESSENTALIS LINNÉI.

Syst. Veget. p. 104.

Calix bivalvis, orbiculatus. *Corolla* ejusdem magnitudinis. *Stigmata* penicilliformia.

CHARACTER ESSENTIALIS REFORMATUS.

Calix biglumis, uniflorus *corollae* bivalvi plano-convexae appressus. *Stigmata* penicilliformia. *Semen* corolla corticatum.

HABITUS.

Plantae culmiferae, mono- di- tri- vel polystachiae, spiculis secundis, bitri- aut quadrifariam imbricatis, breviter pedicellatis, in latere averso racheos alatae dispositis.

ETYMOLOGIA NOMINIS.

Neminem fugit, *Linnéum* semper ita existimasse, ut a *Prisciano* mallet quam a Natura coargui. Itaque iis qui post clarissimi viri obitum de iterandis ejus scriptis cogitarunt, haud pauca corrigenda relicta fuerunt, in quibus ille contra sermonis regulas et loquendi usum peccaverat. *Gmelinus* (in systematis naturae editione decima tertia,) quidem multa ex hoc genere, quae in erratis essent, emendavit. De Paspalo tamen effugit Doctissimi Viri diligentiam, perperam a *Linnéo* usurpatam fuisse vocem in terminatione neutra. Quod cum primus *Beckmannus* in *lexico* p. 165. adnotasset, nos quoque omnino verum esse invenimus. Quocirca nulli dubitamus, quam adhuc *Linnéo* praeeunte in Neutro genere Botanici fere usurparunt, Paspali

vocem masculino generi attribuere, freti autoritate venerandi patris medicae artis *Hippocratis*, tum etiam *schol. Aristoph.*, quam *Suidae*, qui πασπάλη legit, anteponendam esse arbitramur. *Hippocrati* πάσπαλος Milii species est, (forsan Panicum italicum *Linn.*) teste *Galeno* in *lexico Hippocratis.*

SPECIES.

* *Pedicellis solitariis.*

1. PASPALUS MEMBRANACEUS.

Diff. spec. P. spicis pluribus, alternis; rachi cymbiformi spiculis multoties latiore; glumis hirsutissimis: interiore ovata; foliis glaucis glabriusculis.

SYNONYMA.

Paspalum (membranaceum) spicis alternis, sessilibus; rachi membranacea,

cymbiformi; floribus bifariis hirsutissimis. *Lamarck Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 177. — *Poiret* in *Ency. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 29. (ex herb. auctorum.)

Paspalum (Commersonii) spicis alternis; rachi membranacea colorata, floribus duplici ordine alternis, secundis, calicibus hirsutissimis. *Zuccagni* in *Roem. Coll. p.* 122. (excl. Syn. Lamarckii quoad nomen triviale.)

Ceresia elegans. *Perf. Syn. Vol. I. p.* 85. — *Spreng. Cent. p.* 5.

Ceresia (elegans) spicis alternis, rachi lanceolata, foliis vaginisque glabris. *Willd. Enum. p.* 88.

Icon. Lam. l. c. T. 43. f. 2.

DESCRIPTIO.

Radix perennis, fibrosa.

Culmi bi-tripedales, adscendentes.

Nodi glaberrimi.

Vaginae glabrae, fauce nudae, internodiis paullo longiores, interdum coloratae.

Ligula brevis, fusca.

Folia lineari-lanceolata, plana, glabra, glauca, aliquando pilis longis hinc inde adspersa.

Spicae quatuor ad decem, alternae, rarius geminatae.

Rachis universalis bi-triuncialis, angulata, laevis, axillis subpilosis.

Raches partiales sesqui- ad triunciales, spiculis multoties latiores, cymbiformes, costam versus laete virides, multinerves, margine enerves, scarioso-hyalinae, ex luteo fuscae.

Pedicelli solitarii, brevissimi, subpubescentes.

Spiculae numerosae, bifariam imbricatae.

Glumae intus glabrae, extrinsecus pilis candidis sericeis undique obtectae: *interior* ovata, acuta, trinervis; *exterior* oblongo-lanceolata, obtusiuscula, binervis.

Valvae ovato-oblongae, glabrae, stra-

mineae: *exterior* praesertim apice pilo uno alterove praedita.

LOCUS NATALIS.

Quod Lamarckius et post illum reliqui scriptores tradunt, in Peruvia hoc gramen habitare, diligentiorem desiderat inquisitionem, *Ruizio* et *Pavonio* in Flora Peruviana nullam ejus mentionem facientibus. Neque, quod memini, in museo *Willdenowiano* ullum exemplar a *Humboldtio* et *Bonplando* in illis terris repertum vidi.

OBSERVATIONES.

I. Clarissimus Persoonius (*Synopſ. Vol.* I. *p.* 85) novum ex hac specie genus condidit, *Ceresiae* nomine insignitum, cui has attribuit notas:

CERESIA. Flosculi laterales bifarii sub *Rachi* lata membranacea

cymbiformi. *Calix* bivalvis, uniflorus, lanatus.

Unde apparet, Ceresiam a Paspalo distingui: rachi cymbiformi caliceque lanato (seu potius valde piloso.)

Quas quidem notas haud sufficere ipse profecto *Persoonius* intellexisset, si detectae a viris clarissimis *Humboldtio* et *Bonplando* species cognitae ei fuissent. In his enim calix conspicitur magis minusve pilosus, rachis autem jam latior jam angustior: ut, ubi utriusque generis limites constituendi sint, ego certe dicere non habeam. Quo accedit, quod PASPALO HUMBOLDTIANO, propter calicem pilosum et angustam rachin in utrovis genere locus attribui potest.

II. *Walteri* Paspalum membranaceum utrum *Lamarckiano* respondeat, nec ne, affirmare non audeo, quando

hanc brevem tantum descriptionem affert:

Paspalum (membranaceum) culmo ramoso longissime procumbente; spica composita, spiculis 6. f. 7. alternis, laevibus, secundis, floribus duorum ordinum; receptaculo membranaceo lato flores subvolventi. *Walt. Flor. Carol. p.* 75.

2. PASPALUS STELLATUS.

Diff. spec. P. spicis duabus conjugatis, rachi cymbiformi spiculis multoties latiore; glumis hirsutis: interiore obovata; foliis pilosissimis.

SYNONYMUM.

Paspalum stellatum. *Humboldt* et *Bonpland inedit.*

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmi fere bipedales, erecti, superne tenuissime pubescentes.

Nodi pubescentes.

Vaginae inferiores apicem versus papilloso-pilosae; superiores nudae.

Ligula barbata.

Folia linearia, carinata, hirsutissima.

Spicae duae, conjugatae: altera aliquanto longiore.

Rachis universalis nulla.

Raches partiales bi-triunciales, spiculis multoties latiores, cymbiformes, demum explanatae, costam versus nervosae, sordide virides, margine enerves, in statu sicco subundulatae, scarioso-hyalinae, ex luteo fuscae.

Pedicelli solitarii, brevissimi, pilis candidis obtecti.

Spiculae numerosae, bifariam imbricatae.

Glumae obovatae, acutiusculae, binerves, basi margineque pilis candi-

dis copiosis tectae: exteriore angustiore.

Valvae albidae, glabrae, glumis paullo minores.

LOCUS NATALIS.

America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland.*

Exemplum, quod in manibus est, acceptum refero amicissimo *Willdenowio*, cujus liberalitati et omnes infra memoratas debeo species, quotquot quidem a Clarissimo illo peregrinatorum pari collectae sunt.

OBSERVATIO.

Quoad rachin partialem haec species superioris simillima est, quamquam spicarum numero foliorumque pilis rigidis et crebris primo statim aspectu internoscitur. Nomen triviale hanc ob causam ei inditum est,

quod, spiculis delapsis, breves pedicelli in rachi remanent, pilis inhaerentibus stellularum imaginem prae se ferentes.

3. PASPALUS CARINATUS.

Diff. spec. P. spica solitaria; rachi carinata, spiculis duplo latiori; glumis lineari-lanceolatis, basi hirsutissimis; foliis convolutis, pilosis.

SYNONYMUM.

Paspalum carinatum. *Humboldt* et *Bonpland inedit.*

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmi sesqui- aut bipedales, erecti.

Nodi glabri.

Vaginae internodiis multo breviores, fauce pilosae: superiores glabrae: inferiores sursum hirsutae.

Ligula brevis.

Folia angusta, linearia, convoluta, hirsuta.

Spica solitaria.

Rachis universalis nulla.

Raches partiales carinatae, fere triunciales, spiculis (demptis pilis) duplo saltem latiores, subflexuosae, margine hyalinae.

Pedicelli solitarii, glabri, paullo remoti.

Spiculae lineari-lanceolatae, acutiusculae.

Glumae aequales, trinerves, apice glabriusculae, basin versus (interior praesertim) pilis copiosissimis candidisque obtectae.

Valvae glumis tertia parte breviores, stramineae, glabrae: *interior* apice tenuissime ciliata.

LOCUS NATALIS.

America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland*.

4. PASPALUS HUMBOLDTIANUS.

Diff spec. P. spicis subtribus alternis; rachi plana, spicularum latitudine;*) glumis ovato-lanceolatis: interiore margine pilosissima; foliis hirsutis.

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmus plerumque simplex, adscendens, pedalis aut sesquipedalis.

Nodi glabri.

Vaginae internodiis longiores, subpilosae: suprema glabra, elongata.

Ligula exserta.

---

*) Puta, diametrum transversalem parem esse diametro singulae cujusvis spiculae. Brevitatis gratia in differentiis specificis *rachin* tantum posui, omissa nota, *partialem* intelligendam esse. Omnino satius foret singularem terminum pro rachi partiali introducere, quoniam parum consentaneum est, in iis speciebus, quae nonnisi unam spicam seu spicas conjugatas habent, rachin partialem commemorare, etsi universalis sit nulla.

Folia lineari-lanceolata, plana, papilloso-pilosa: summum glaberrimum.

Spicae duae vel tres, alternae.

Rachis universalis uncialis aut sesquiuncialis, semicylindrica; laevis.

Raches partiales sesqui- ad triunciales, spicularum latitudine, rectae, planae, nervosae.

Pedicelli solitarii, glabri.

Spiculae ovato-lanceolatae, bifariam imbricatae.

Glumae trinerves, purpurascentes: *interior* pubescens, margine pilis longissimis, creberrimis, candidisque ciliata: *exterior* glabra, paullo angustior.

Valvae stramineae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland.*

5. PASPALUS fasciculatus.

Diff. spec. P. spicis pluribus fasciculatis; rachi plana, spiculis angustiore; glumis ovato - lanceolatis; foliis glabris.

SYNONYMUM.

Paspalum fasciculatum. *Willd. inedit.*

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmus tri - ad quinquepedalis, erectus, simplex aut basi divisus.

Nodi incrassati, in α et β glabri, in γ villosi.

Vaginae internodiis longiores, laxae, glabrae, fauce pilosae, margine saepius ciliatae.

Ligula brevissima.

Folia linearia, plana, glabra, basi carinata, margine scabra.

Spicae novem ad viginti, fasciculatae;

inferiores solitariae aut geminatae: superiores plerumque verticillatae.

Rachis universalis tri- ad sexuncialis, angulata, laevis; axillis barbatis.

Raches partiales bi- ad quadriunciales, spicularum fere latitudine aut iis dimidio angustiores, planae, rectae apicem versus flexuosae, margine scabriusculae.

Pedicelli solitarii, scabri.

Spiculae ovato - lanceolatae, acutae, bifariam imbricatae.

Glumae aequales, quinquenerves, *) glabrae aut margine ciliatae.

Valvae virescentes, laevigatae, glumis paullo breviores.

---

*) Vasorum calicinorum fasciculi (nervos appellant) quomodo numerandi sint, docti certant. Mihi quidem optimum videtur, numerare nervos, quotquot sunt, nulla ratione habita, an adhaereant margini aut ipsum marginem efficiant.

LOCI NATALES.

α Statura majori, rachi partiali spicularum fere latitudine, glumis ciliatis.

Brasilia. *Hoffmannsegge.*

β Rachi spiculis dimidio fere angustiore, glumis minus ciliatis.

Peruvia. *Humbold* et *Bonpland.*

γ Rachi spiculis paullo angustiore, glumis undique glabris.

America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland.*

6. PASPALUS BONPLANDIANUS.

Diff. spec. P. spicis pluribus alternis; rachi convexiuscula spicularum latitudine; glumis ovato-lanceolatis, glabris; foliis subvillosis.

DESCRIPTIO.

Radix transversalis, crassa, perennis. *Culmi* pedales aut sesquipedales, erecti, simplices.

Nodi subpubescentes.

Vaginae internodiis plerumque longiores, fauce pilosae: inferiores villosae: superiores glabrae.

Ligula exserta.

Folia lineari-lanceolata, plana, in α utrinque villosa, in β pubescentia.

Spicae sex ad decem, alternae.

Rachis universalis uncialis ad quadriuncialis, subtriquetra, laeviuscula: axillis hirsutis.

Raches partiales convexiusculae, acutae, unciales aut sesquiunciales, tenuissime pubescentes, spicularum latitudine, aut iis paullo latiores.

Pedicelli solitarii, pubescentes.

Spiculae ovato-lanceolatae, acutiusculae, bifariam imbricatae.

Glumae trinerves, subaequales, virescentes aut aliquando coloratae, glabrae.

Valvae glumis paullo breviores, lac-

teae, aut nonnunquam rubedine quadam tinctae.

LOCUS NATALIS.

Peruvia. *Humboldt* et *Bonpland.*

OBSERVATIONES.

I. Varietates hujus speciei hoc modo distingui possunt:

α Rachi partiali spicularum latitudine, foliis villosis.

β Rachi spiculis paullo latiore, foliis pubescentibus.

II. Ad secundam potissimum varietatem accedit Paspalum dissectum *Linn. Spec. Plant. ed.* 2. *Vol.* 1. *p.* 81. (exclus. synon. Pluk.), sed tamen natura differre ab eo mihi videtur quantum quidem cognoscere mihi licuit e fragmento, quod amica doctissimi *Turneri* procuratione e herbario *Linnéano* a praeclarissimo ejus

possessore *Smithio* accepi. Notae sunt hae:

Rachis partialis carinata, margine subciliata, spiculis duplo fere latior. *Pedicelli* solitarii. *Spiculae* dimidio minores quam in Paspalo Bonplandiano, ellipticae, (neutiquam orbiculatae ut *Linnéus* perhibet) obtusiusculae, bifariam imbricatae. *Glumae* albidae, glabrae, nervis quinque viridibus exaratae. *Valvae* pallide stramineae, punctulatae, glumarum fere longitudine.

Plantam a *Kalmio* repertam *Linnéus* ita describit:

Paspalum (dissectum) spicis alternis: rachi membranacea. *Linn. Sp. Pl. ed.* 2. *Vol.* 1. *p.* 81.

Panicum (dissectum) spiculis alternis; rachi lineari membranacea extrorsum imbricato-florifera. *Linn. Sp. Pl. ed.* 1. *Vol.* 1. *p.* 57.

Dactylis spicis alternis numerosis patulis, calycibus unifloris. *Roy. Fl. Leyd. p.* 56.

Hab. in America calidiore. ⊙

Gramen prostratum foliorum vaginis fere spathaceis. Spicae paucae rachi membranacea dilatata ad latitudinem spicae ipsius distichae et secundae. Flores orbiculati. *Linn. Spec. Pl. ed.* 2. *p. c.*

III. *Smithio* auctore gramen hujus nominis in Systemate Vegetabilium descriptum a praecedente diversum est.

Paspalum (dissectum) spicis alternis, rachi membranacea, floribus alternis apice pilosis. — Folia utrinque pubescentia. *Linn. Syst. Nat. Vol.* 2. *p.* 86. — *Syst. Veget. p.* 104.

IV. *Reichardus* primus (Syst. Plant. Vol. 1. p. 151.) Paspalo dissecto *Linnéi* addidit synonymum Paspali dissecti, *Kniph. Ectyp. Cent.* 12, sed quam

Kniphofius dedit effigies non hujus est, sed Cynosuri indici *Linnéi!*

V. *Thunbergii* Paspalum dissectum quid sit, non facile nisi ex ipso Clarissimi viri herbario definiri potest, parum sufficientibus quae in Flora Japonica attulit:

Paspalum dissectum.

Diff. spec. ex Linn. Syst. Nat.

Crescit juxta Nagasacki.

Folia in meo specimine valde pilosa.

Calycis interior gluma convexa, laevis; exterior plana linea elevata. *Thunb. Flor. Japon. p.* 45.

VI. De *Walteri* Paspalo dissecto etiam accuratius indagandum est, cum hae, quas attulit, notae in plures species cadant:

Paspalum (dissectum) spicis secundis axillaribus et terminalibus, rachi membranacea, floribus alter-

nis, foliis et caule pilosis. *Walt. Flor. Carol. p.* 75.

VII. Quoad Paspalum dissectum *Houttuyn.* vide infra.

7. PASPALUS REPENS.

Diff. spec. P. spicis numerosis, sparsis; rachi canaliculata, spiculis triplo latiore; glumis elliptico-lanceolatis, glabris; foliis undique scabris.

SYNONYMA.

Paspalum (repens) spicis paniculatis subverticillatis nutantibus culmo repente. *Bergius* in *Act. Helv. Vol.* 7. *p.* 129. — *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 332.

Icon. Berg. l. c. Tab. 7 nec 1.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, perennis.

Culmus pedalis, ramosus, geniculatus, repens.

Nodi pubescentes: inferiores radicantes.

Vaginae laxae, internodiis longiores, scabrae.

Ligula parum exserta, lacerata.

Folia lineari-lanceolata, basi rotundata, plana, utrinque scaberrima.

Spicae viginti quinque ad triginta, sparsae, arcuatae: inferiores plerumque verticillatae: superiores geminatae aut solitariae.

Rachis universalis scabra, tri- ad quadriuncialis.

Raches partiales unciales aut paullo breviores, spiculis duplo triplove latiores, canaliculatae, scabrae, in acumen, spiculis destitutum, productae.

Pedicelli solitarii, brevissimi.

Spiculae elliptico-lanceolatae, acutae, bifariam imbricatae.

Glumae albidae, glabrae, trinerves; exteriore rarius binervi.

Valvae candidae, glumarum longitudine.

LOCI NATALES.

Surinam. *Bergius.* — America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland.*

8. PASPALUS STOLONIFER.

Diff. spec. P. spicis numerosissimis, sparsis; rachi undulata, spiculis latiore; glumis oblongis, corrugatis, mucronulatis; foliis lanceolatis, glaberrimis, margine scabris.

SYNONYMA.

Paspalum (stoloniferum) spiculis spicatis, rachi undulata, floribus alternis secundis, caule geniculato, basi prostrato, stolonifero. *Bosc.* in *Act. Soc. Linn. Lond. Vol.* 2. *p.* 83. — *Willd. Sp. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 331.

Paspalum (stoloniferum) spicis alternis, numerosis, paniculatis, rachi membranacea, calicibus oblongo-ellipticis, acutis, uninerviis, glabris, foliis planis, vaginisque glabris, culmo adscendente, radicante. *Willd. Enum. p.* 90.

Paspalum (racemosum) spiculis numerosis, pedicellatis, in racemum elongatum ordinatis. *Jacq. Ic. rar. Vol.* 2. — *Ejusd. Coll. Suppl. p.* 32.

Paspalum (racemosum) spicis numerosissimis, subverticillatis, breviusculis, patentibus, glumis ovatis, lateribus plicato-crispis. *Lamarck. Ill. Vol.* 1. *p.* 176. — *Poiret* in *Ency. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 32.

Paspalum (purpureum) culmis inferne divisis, panicula oblonga, spicis linearibus, floribus secundis, bifariam imbricatis. *Flor. Peruv. Vol.* 1. *p.* 47.

Milium (latifolium) culmo ramoso;

paniculae ramis simplicissimis: floribus cernuis, muticis, duplici ordine imbricatis. *Cavan. Ic. Vol. 3. p. 37.*

Icon. Bosc. l. c. T. 16.

Jacq. Ic. T. 302.

Cavan. l. c. T. 273.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, in loco natali perennis, apud nos frigoris impatiens et propter coeli intemperiem annua.

Culmi circiter bipedales, ramosi, basi prostrati, geniculati, „stoloniferi." *Bosc.*

Nodi glaberrimi, incrassati: inferiores radicantes.

Vaginae internodiis plerumque breviores, glabrae, fauce nudae, coarctatae.

Ligula brevissima.

Folia lanceolata, basi rotundata, plana,

utrinque glabra, margine scabra, subtus glauca.

Spicae numerosissimae, (50 — 80) approximatae, sparsae.

Rachis universalis quadri-ad quinqueuncialis, angulata, laevis: axillis subpubescentibus.

Raches partiales tres ad quindecim lineas longae, spiculis paullo latiores, undulatae, laete virides, margine subciliatae.

Pedicelli solitarii.

Spiculae oblongae, bifariam imbricatae.

Glumae trinerves, glabrae, corrugato-plicatae, obtusae, mucrone pubescente terminatae.

Valvae albidae, glumis duplo fere breviores.

Antherae punctis rubris notatae.

LOCUS NATALIS.

Peruvia.

OBSERVATIONES.

I. Exemplar hujus speciei, quod a *Humboldtio* et *Bonplando* prope Guayaquil repertum in Herbario *Willdenowiano* exstat, ab hortensibus differt spiculis albidis et dimidiam prope partem brevioribus. Culturae procul dubio quoque tribuendum est, quod infima spica interdum ramosa occurrit.

II. Auctores Florae Peruvianae (pag. 43.) de hoc gramine addunt: Haec utilissima planta, quae praestantissimum pabulum belluis suppeditat, inter segetes Limae, Chancay, Huanuci ceterisque locis calidis et maritimis inter Medicam sativam copiose crescit, ibique ter ad annum metitur; quapropter per Europam ad eosdem usus propagari meretur.

Hispanice *Maizillo*, id est parva Zea.

9. PASPALUS LAEVIS.

Diff. spec. P. spicis tribus pluribusve alternis, remotis; rachi plana, flexuosa, spiculis duplo fere angustiore; glumis orbiculato-ellipticis, obtusiusculis, nitidis; foliis glabris.

SYNONYMUM.

Paspalum (laeve) erectum, glaberrimum, foliis breviusculis; vaginis compressis: spicis pluribus alternis: glumis biseriatis, suborbiculato-ovatis, laevibus, glabris. *Michaux. Fl. Americ. Vol. 1. p.* 44.

DESCRIPTIO.

Radix mihi ignota.

Culmus bipedalis aut major, erectus.

Nodi atri, glabri.

Vaginae compressae: superior semipedalis, glabra, margine hinc inde pilis longioribus ciliata.

Folia linearia, plana, glabra, basi carinata.

Spicae „plures" *Michaux*; in specimine quod coram habeo, tres, alternae, remotae.

Rachis universalis biuncialis, laevis: axillis barbatis.

Raches partiales circiter biunciales, apicem versus praesertim flexuosae, margine scabriusculae, spiculis duplo fere angustiores.

Pedicelli solitarii, incurvati.

Spiculae orbiculato-ellipticae, numerosae, hinc planae, illinc valde convexae.

Glumae glabrae, aequales, quinquenerves: nervis marginalibus approximatis.

Valvae stramineae, punctulatae.

LOCI NATALES.

Georgia. *Michaux.*

Exemplum, quod in manibus est, ab Amicissimo ROHDÉO e collectione

plantarum Caroliniensium, quae *Walnei* cujusdam olim fuit, accepi.

10. PASPALUS SCROBICULATUS.

Diff. spec. P. spicis paucioribus, alternis; rachi plana, recta, spicularum latitudine; glumis subrotundis, obtusis, glabris; foliis superioribus nudis.

SYNONYMA.

α Pedicellis simplicibus, glumis 7 — 9-nervibus.

Paspalum (scrobiculatum) spicis alternis; rachi membranacea, floribus alternis calycibus multinerviis extus scrobiculatis. *Linn. Mant. I. p.* 29. (ex fragmento quod e Linnéano herbario mihi concessit Clarissimus *Smithius.*) — *Willd. Spec. Plant. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 331. (excl. synon. *Houttuyn.*)

Paspalum frumentaceum *Rottler.*

Paspalum (Commersonii) spicis ternis: infima pedunculata, floribus orbiculatis glabris bifariis, vaginis ore pilosis. *Lamark. Illustr. Vol.* 1. *p.* 175. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 34. (ex herbariis auctorum.)

Paspalum (Kora) spicis alternis subbinatis, rachi membranacea, calycibus subrotundis quinquenerviis, culmo foliisque glabris. *Willden. Spec. Plant. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 332.

β Pedicellis simplicibus, glumis quinquenervibus.

Paspalum (Kora.) *Willd. Hort. Berol.* fasc. 7. p. 74.

Paspalum (Kora) spicis alternis subquaternis, rachi membranacea, calycibus subrotundis, trinerviis, glabris, foliis planis culmisque glabris. *Willd. Enum. p.* 89.

Paspalum longifolium. *Hortulanorum.*

γ Pedicellis in media rachi bipartitis, glumis trinervibus.

Paspalum (orbiculare) spicis alternis, rachi membranacea, floribus duplici ordine secundis orbiculatis laevibus. *Forst. Prodr. p.* 7.

Paspalum (orbiculare) spicis alternis subsenis, rachi membranacea, calycibus subrotundis uninerviis glabris, foliis complicatis vaginisque glabris. *Willd. Enum. p.* 89.

Gramen paniceum spica simplici ad caulem intervallata, binis granorum ordinibus uno versu constante, americanum. *Pluk. Mant. p.* 94.

δ Pedicellis omnibus bipartitis, glumis trinervibus.

Icon. α Lam. l. c. T. 43. f. 1. *mala.*
β Willd. Hort. T. 74.
γ Pluk. l. c. T. 350. pl. 2.

DESCRIPTIO.

Radix repens, perennis.

Culmus erectus, pedalis aut bipedalis, simplex aut basi divisus.

Nodi glaberrimi: inferiores saepius radicantes.

Vaginae internodiis longiores, tandem iis breviores, glaberrimae, fauce paullo pilosae.

Ligula brevissima.

Folia linearia, glabra, basi carinata, margine laevia: infima interdum pubescentia.

Spicae alternae, rarissime conjugatae, in α duae, tres aut unica, in β, γ et δ tres ad quinque.

Rachis universalis longitudine maxime varia, semiteres, scabriuscula: axillis jam nudis, jam pilosis.

Raches partiales planae, rectiusculae, glabrae, margine scabrae, sesqui-

ad triunciales, spicularum latitudine aut iis aliquanto latiores.

Pedicelli simplices aut bipartiti.

Spiculae orbiculato-ellipticae, in α et β bifariam, in γ subtrifariam, in δ quadrifariam imbricatae.

Glumae aequales, obtusiusculae, glabrae, tri-ad novemnerves: nervis medio proximis basin non attingentibus.

Valvae nitentes, punctulatae glumarum longitudine, obtusae, stramineae, tandem castaneae.

LOCI NATALES.

α India orientalis. *Linné. Rottler.* — In Tranquebariae locis humidis. *Klein.* — In siccis lapidosis insulae Mauritii. *Commerson. Dupetit-Thouars. Bory de St Vincent.* Cultum habeo ex horto botanico Taurinensi.

β Colitur in hortis botanicis.

γ et δ in India orientali detexit *Klein.*

Specimina mecum communicaverunt DUPETIT-THOUARS, SCHRADER, SCHREBER et WILLDENOW.

OBSERVATIONES.

I. Effigies e *Plukenetii* Mantissa excitata, a *Linnéo* falso ad Paspalum dissectum relata, varietatem γ quoad spicularum formam egregie ob oculos ponit.

II. Icon Paspali dissecti, a *Houttuynio* exhibita, nisi hujus ipsius, certe speciei valde affinis est. Clarissimus *Panzerus* haec de illa habet:

Paspalum dissectum.

Getheilt wird diese Art, die in Westindien ursprünglich zu Hause ist, genennt, weil die Aehren gleichsam getheilt sind, und nur auf einer Seite

mit Blümchen besetzt, auf der andern aber von selbigen entblöſst sind. Ritter *Linné* läſst uns die Ursache seiner etwas gesuchten Benennung dieser Art nur errathen, er selbst aber gedenkt von selbiger nichts. — Mit seiner Beschreibung dieser Grasart kömt in mancher Rücksicht ein javanisches Gras überein, welches Herr *Houttuyn* auf Tab. 89. f. 2. abgebildet hat, und von welchem er Exemplare mit drey, vier, fünf bis sechs Aehren besitzt, die aber wenigstens hier an der Basis nicht vertheilt sind. Auch bestehen einige derselben aus drey oder vier Reihen Blümchen, über die der Griffel hinausragt, und also ein schwarzes Pünktchen vorstellt, das ziemlich haarig zu seyn scheint. Die Halme werden scheidenartig von den Blättern umgeben, und sind an den *Houttuynischen* Exemplaren einen Schuh und darüber hoch. *Hieraus ergiebt*

sich von selbst, dafs dieses Gras auch in Ostindien zu Hause ist (!)

Houtt. Pfl. Syst. Th. 12. *p.* 215 et 216.

III. Paspalum Commersonii *Zuccagnii*, ut antea dixi, idem est quod *Lamarckio* membranaceum audit.

IV. Clarissimus *Willdenowius* jam Paspalum orbiculare *Forsteri* singularem a Paspalo Kora diversam esse speciem censet: in quo equidem viro doctissimo non assentior, propterea quod nervorum in glumis calicinis numerus non magis quam pedicellorum natura in hac specie sibi constat. Variat haec planta omni parte mirum in modum, neque ullum fere exemplar alteri plane respondet, quod ex diversa loci natura evenire videtur. *Forsterus* eam Paspali venusti nomine insignitam amicis mittebat, antequam descripserat.

V. Quod *Linnéus* iu Paspali scrobiculati descriptione affert, calicis valvulam planiorem basi intrusam et in medio pari scrobiculorum impresso praeditam esse, admodum vereor ne in viva planta haud conspiciendum se praebeat, sintque scrobiculi tantum ab exsiccando. Etiam Clarissimus *Schreberus* in literis refert, se hanc notam non ubique observasse, neque Clar. *Willdenowius* in Paspali Kora descriptione, ad vivam plantam facta, ullam ejus mentionem facit: ut, mea quidem sententia, hic character pro incerto habendus sit.

VI. Paspalum scrobiculatum *Houttuynii* jam spicis copiosioribus et brevioribus a *Linnéano* distinguitur. Clar. *Panzerus* ad descriptionem *Linnéanam*, e latina lingua translatam, haec addit:

Paspalum scrobiculatum. *Houtt. Pfl. Syst. Th.* 12. *p.* 216.

Eine Art dieser Gattung, die Herr D. *Thunberg* in Japan entdeckt hat, und wovon Herr *Houttuyn* auf Tab. 89. f. 3. die Rispe nebst einem Theil der Blätter abgebildet hat, scheint mit obiger (Paspalum scrobiculatum *Linn.*) in sehr vielen Stücken übereinzukommen. Die Blümchen scheinen alle eingedrückte Grübchen zu haben, besonders was die Bälglein anbetrifft, die eben so grofs und sehr hohl sind, zwischen welchen die Spelzen mit ihren Spitzen sich zeigen. Die Rispe ist dem gröfsten Theile nach von einem Scheideblatt, welches sehr breit, ja breiter als die andern Blätter zu seyn scheint, umschlossen. Die Aehren sitzen wechselsweise an dem Halm, werden allmälich kürzer, jedoch breiter, je höher sie an selbigem hinauf-

steigen, und woselbst sie sehr gedrängt an einander sitzen. Das *Houttuynische* Exemplar ist sammt den Blättern und der Wurzel im Ganzen über anderthalb Schuhe lang.

11. PASPALUS SWARTZIANUS.

Diff. spec. P. spica subsolitaria; rachi convexa, spiculis angustiore; glumis ovatis, acutiusculis, glabris; foliis setaceo-linearibus.

SYNONYMA.

Paspalum (filiforme) spica subsolitaria, lineari, secunda, spiculis alternis, ovatis, compressis, culmo foliisque filiformibus. *Swartz. Prodr. p.* 22. *Ejusdem Flor. Ind. occ. Vol.* 1. *p.* 136. (ex specimine auctoris.) — *Willd. Spec. Plant. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 333.

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmi bipedales, erecti, caespitosi, simplices, filiformes.

Nodi glabri.

Vaginae internodiis breviores, glabrae, fauce pilosae: superiores longissimae.

Folia setaceo-linearia, glabra, ima basi pilo uno alterove ciliata.

Spica subsolitaria.

Rachis universalis nulla.

Rachis partialis bi- ad triuncialis, spiculis paullo angustior, convexiuscula, recta aut subflexuosa.

Pedicelli simplices, spicularum fere longitudine, glabri.

Spiculae hinc planae, illinc valde convexae.

Glumae ovatae, acutiusculae, glabrae, tri- ad quinquenerves.

Valvae stramineae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

Campi aprici duri Indiae occidentalis. *Swartz.*

Exemplum hujus speciei Amicissimo WILLDENOWIO debeo.

OBSERVATIO.

In solo fertiliori subinde 3—4- stachyum occurrit, sed rarius. *Swartz. l. c.*

12. PASPALUS PARVIFLORUS.

Diff. spec. P. spicis subtribus, alternis; rachi plana, valde flexuosa, spicularum latitudine; glumis ellipticis, obtusis, glabris; foliis hirsutissimis; culmo stricto, ramoso.

SYNONYMUM.

Paspalum parviflorum. *Rohdé inedit.*

DESCRIPTIO.

Radix annua, fibrosa.

Culmus circiter semipedalis, strictus, ramosus.

Nodi subpilosi.

Vaginae hirsutae, laxae, internodiis plerumque breviores.

Ligula brevissima.

Folia linearia, angusta, plana, pilis longis patentibus tecta.

Spicae duae vel tres, alternae, erectae, tandem horizontales aut refractae.

Rachis universalis duas ad quatuor lineas longa: axillis pilosis.

Raches partiales quatuor ad septem lineas longae, spicularum latitudine, valde flexuosae, margine ciliato-scabrae.

Pedicelli solitarii, ciliati, spiculis paullo longiores.

Spiculae ellipticae, obtusae.

Glumae aequales, binerves, glabrae.

Valvae stramineae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

Insula Portorico.

Exemplar pulcherrimum liberalitati Amicissimi ROHDÉI debeo.

OBSERVATIO.

Paspalus parviflorus, pusillus et conjugatus a reliquis eo differunt, quod glumae duos tantum habent nervos, unde margines incrassati in illis existunt.

13. PASPALUS PUSILLUS.

Diff. spec. P. spicis subtribus, alternis; rachi plana, recta, spiculis paullo angustiore; glumis obovato - orbiculatis, obtusiusculis, foliisque glabris; culmo repente ramoso.

SYNONYMA.

Paspalum pusillum *Ventenat. inedit.*

Paspalum (orbiculatum) spicis brevibus, subdigitatis; flosculis bifariis, sessilibus, orbiculatis; caule stolonifero. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 32. (ex herbario auctoris.)

DESCRIPTIO.

Radix perennis?

Culmus repens, ramosus: ramis erectis, digitalibus aut semipedalibus.

Nodi paullo pubescentes: inferiores radicantes.

Vaginae laxae, glabrae, margine ciliatae.

Ligula brevissima.

Folia lineari-lanceolata, plana, glabra.

Spicae duae vel tres, alternae.

Rachis universalis circiter quatuor lineas longa: axillis subpilosis.

Raches partiales sex ad octo lineas longae, planae, rectae, spiculis ali-

quanto angustiores, margine laeviusculae.

Pedicelli simplices, brevissimi.

Spiculae obovato-orbiculatae, obtusiusculae, bifariam imbricatae.

Glumae aequales, glabrae, binerves.

Valvae laevigatae, albidae, tandem fuscae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

Insula St. Thomae. *Ventenat.* — Portorico. *Ledru.*

Specimen mihi dono dedit defunctus *Ventenat.*

14. PASPALUS CONJUGATUS.

Diff. spec. P. spicis duabus, conjugatis; rachi plana, recta, spicularum latitudine; glumis orbiculato-ovatis, acutiusculis: interiore ciliata; vaginis compressis; foliis glabriusculis.

SYNONYMA.

Paspalum (conjugatum) spicis conjugatis. *Bergius* in *Actis Helv. Vol.* 7. *p.* 129.

Paspalum (conjugatum) spicis duabus horizontalibus, conjugatis, spiculis ovatis, culmo erecto, foliis involutis. *Swartz Prodr. p.* 21. *Ejusdem Flor. Ind. occ. Vol.* 1. *p.* 133.—*Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 333. — *Poiret* in *Ency. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 29.

Paspalum tenue. *Gaertn. Fruct. Vol.* 2. *p.* 2.

Paspalum (ciliatum) spicis duabus; floribus suborbiculatis, compressis, piloso - ciliatis, bifariis, sessilibus. *Lamarck. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 175. — *Poiret l. c.*

Icon. Berg. l. c. Tab. 8. nec 2.
Gaertn. l. c. Tab. 30. f. 4.

DESCRIPTIO.

Radix perennis, fibrosa.

Culmus semi- ad bipedalis, plerumque simplex, erectus.

Nodi glabri.

Vaginae internodiis longiores, compressae, glabrae, margine saepius ciliatae, fauce pilosae.

Ligula brevissima.

Folia lineari-lanceolata, plana, glabra aut rarius pubescentia, basi carinata, margine scabra.

Spicae duae, rarissime tres, conjugatae, graciles, primum erectae, tandem horizontales.

Rachis universalis nulla.

Raches partiales bi- ad quadriunciales, spicularum latitudine, planae, rectae, laete virides.

Pedicelli simplices.

Spiculae orbiculato- ovatae, acutiuscu-

lae, compressae, flavescentes, bifariam imbricatae.

Glumae tenuissimae, binerves: *interiore* pilis longioribus ciliata.

Valvae stramineae, glumarum longitudine.

LOCI NATALES.

In graminosis, subhumidis Indiae occidentalis, vulgare. *Swartz.* — Cayenne. *Leblond.* — Surinam. *Bergius.* — Guayaquil. *Humboldt* et *Bonpland.*

Exempla donata a LAMARCKIO, PERSOONIO et VENTENATIO.

OBSERVATIONES.

I. Clarissimus *Rothius* (Cat. bot. Vol. 3. p. 14. sub Paspalo piloso) perperam huic speciei flosculos (seu potius spiculas) geminatos attribuit, cum semper sint solitarii, quod in Paspalis,

ubi spiculae sunt bifariam imbricatae, rarissime accidit.

II. Vulgo appellatur ab Anglis *Sourgrafs.* A pecudibus non editur. *Swartz l. c.*

III. Facies spicularum in icone *Bergiana* parum accurate expressa est.

IV. Icon *Gaertneri* si recte haberet, utraque gluma ciliis praedita putanda foret, quae tamen mihi non nisi in interiori visa sunt.

15. PASPALUS NOTATUS.

Diff. spec. P. spicis duabus approximatis; rachi plana spiculis angustiore; glumis ovatis, obtusiusculis, laevigatis, valvarum longitudine; vaginis remotis.

DESCRIPTIO.

Radix nondum mihi visa.

Culmus declinatus, pedalis aut altior.

Nodi glaberrimi.

Vaginae paullo compressae, remotae, glabrae, fauce pilis brevioribus densioribusque barbatae, margine jam nudae, jam ciliatae.

Ligula brevissima.

Folia lato-linearia, plana, basi carinata, utrinque glabra, margine laevia.

Spicae duae, alternae, approximatae: inferiori paullo longiore.

Rachis universalis tres circiter lineas longa, laevis: axillis nudis, nigronotatis.

Raches partiales unciales aut aliquanto longiores, spiculis duplo fere angustiores, planae: costa f. nervo medio praesertim flexuoso.

Pedicelli solitarii, brevissimi.

Spiculae ovatae, obtusiusculae, bifariam imbricatae.

Glumae aequales, septemnerves, laevigatae: *exteriore* basi depressa.

Valvae stramineae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

Insula St. Thomae.

Exemplaria mecum communicaverunt SCHRADER et VENTENAT.

OBSERVATIO.

Haec Paspali species quoniam sequenti assimilis est, suspicari licet, nonnullos Botanicos eas non recte distinxisse.

16. PASPALUS VAGINATUS.

Diff. spec. P. spicis duabus subconjugatis; rachi plana, spicularum latitudine; glumis ovato - lanceolatis, acutis, valvas longitudine excedentibus; vaginis distiche imbricatis.

SYNONYMA.

α Glumis glabris.

Paspalum (vaginatum) spicis duabus, spiculis bifariis acuminatis, culmo ramoso geniculato, geniculis vaginatis. *Swartz Prodr. p.* 21. *Ejusdem Flor. Ind. occ. Vol.* 1. *p.* 135. — *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 333.

Paspalum (pilosum) spicis duabus, conjugatis, pedunculatis, horizontali-refractis, flosculis ovali-lanceolatis, alternis, culmo erecto, compresso, foliis pilosis. *Roth Cat. bot. Vol.* 3. *p.* 12. (ex herb. auctoris.)

β Gluma interiore pubescente.

Paspalum (distichum) spicis duabus erectiusculis, altera sessili, flosculis oblongis glabris. *Swartz. Obſ. p.* 35. (ex specimine auctoris in Museo Clarissimi *Mertenſ.* asservato.)

Icon. var. *β*: Swartz. l. c. Tab. 2. f. 1.

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmi repentes, radicantes, valde ramosi: ramis pedalibus aut sesquipedalibus, erectiusculis, subsimplicibus.

Nodi glabri.

Vaginae distichae, subcompressae, internodiis longiores, glabrae, fauce pilosae.

Ligula exserta.

Folia patentia, linearia, carinata, siccitate convoluta, glabra aut pagina interiore pilis rarioribus adspersa.

Spicae duae, subconjugatae, breviter pedunculatae, primum erectae, tandem horizontales.

Rachis universalis nulla aut brevissima.

Raches partiales unciales aut sesquiunciales, spicularum latitudine, planae, flexuosae.

Pedicelli simplices, brevissimi.

Spiculae ovato-lanceolatae, acutae, bifariam imbricatae.

Glumae quinquenerves, glabrae: *interior* in var. β tenuissime pubescens.

Valvae albidae, glumis paullo breviores.

LOCI NATALES.

α Argillosa graminosa Jamaicae. *Swartz.* — Insula Mauritii. *Dupetit-Thouars.* — India orientalis. (*Klein*) ac nominatim Tranquebar. *Schreber. Roth.*

β in maritimis prope Patibilcam. *Humboldt* et *Bonpland.* — Carolina. *Bosc.*

Exemplaria viris celeberrimis BOSC, DUPETIT-THOUARS, SWARTZ et WILLDENOW accepta refero.

OBSERVATIONES.

I. In varietate β interdum glumam ac-

cessoriam reperi magnitudine variam, semper autem reliquis breviorem.

II. Ad alterutram harum varietatum Paspalum distichum *Linnéi* mea quidem sententia pertinet, quam praeiverunt Missionarii Tranquebarienses referente *Rothio l. c.*

Linnéus haec:

Paspalum (distichum) spicis duabus: altera subsessili, floribus acuminatis. *Linn. Amoen. Acad. Vol.* 5. *p.* 391.

Habitat in Jamaicae graminosis subhumidis.

Gramen pedale. Foliis involuto-subulatis. Culmus terminatus spicis duabus erectis, approximatis, secundis: floribus alternis acuminatis; omnibus sunt Stamina tria. *Linn. Spec. Pl. Vol.* 1. *p.* 82.

III. Quod *Gaertnerus* Paspali distichi nomine Tabula 80. fig. 3. proposuit, gramen, spicis spiculisque majoribus

a nostro admodum differt; quod, quoniam in talem virum nulla incuriae suspicio cadit, sine omni dubitatione diversae speciei loco habendum est. Ille:

Spicae terminales geminae, flosculis subalternis, in singula serie circiter vicenis. Calyx ovato-acuminatus, valvula altera concava, altera plana; utraque in medio linea longitudinali exarata. Corolla matura calyci conformis, crustacea, nitida, minutim puncticulata, pallide straminea. Semen ovatum, sursum angustatum, plano-convexum, rufescens aut ferrugineum. *Gaertn. fruct. Vol. 2. p. 2.*

IV. Gramen dactylon bicorne repens, foliis latis brevibus. *Sloan. Hist. Vol. 1. p. 112.* et

Sesamum jamaicense bicorne digitis gracilioribus. *Petiv.*

an, quod recentioribus quibusdam

visum fuit, huc numeranda sint, certo definiri nequit, et ut maxime possit, equidem, quid hoc rei herbariae expediat, non intelligo.

V. *Schreberus*, ipso illustrissimo viro in literis referente, Paspalum distichum *Burmanni Fl. Ind. p.* 23. a *Linnéano* disjunctum esse suspicatur; dolendum vero, quod *Burmannus* ad differentiam specificam Linnéanam ne verbum quidem addidit.

17. PASPALUS FURCATUS.

Diff. spec. P. spicis duabus conjugatis; rachi triquetra spiculis angustiore; glumis ovato-lanceolatis, acuminatis, glaberrimis, valvis tertia parte longioribus; vaginis laevibus; culmo multinodi.

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmus compresso - triqueter, circiter bipedalis, erectus.

Rami aphylli, ſlorigeri, duo tresve ex una eademque vagina erumpentes.

Nodi pilosiusculi aut nudi.

Vaginae laxae, compressae, ancipites, jam glabrae, jam pubescentes, fauce nudae.

Ligula brevis, lacerata.

Folia lineari - lanceolata, plana, glabra aut pubescentia, margine scabra, in statu sicco paullo undulata.

Spicae duae, conjugatae.

Rachis universalis nulla.

Raches partiales bi- triunciales, triquetrae, spiculis duplo saltem angustiores, margine scabriusculae.

Pedicelli solitarii, brevissimi.

Spiculae remotiusculae.

Glumae ovato-lanceolatae, acutae, glabrae, quinque- vel septemnerves.

Valvae glumis tertia parte breviores, oblongae, stramineae, punctulatae.

LOCUS NATALIS.

Carolina. *Bosc. Walne.*

Exempla Viri Celeberrimi BOSC et ROHDÉ mihi dono dederunt.

OBSERVATIO.

Haec species a tribus, quae postea sequuntur, primo statim adspectu spiculis ter quaterve majoribus internoscitur. Omnes autem eo inter se conveniunt, quod vaginae valde compressae sunt, e quarum summa praecipue rami complures, florigeri, aphylli emergunt; tum etiam, quod rachis triquetra spiculisque angustior est: quo accedit, quod spiculae magis inter se distant quam in reliquis.

18. PASPALUS PLATYCAULIS.

Diff. spec. P. spicis subtribus; rachi

triquetra spiculis angustiore; glumis lanceolatis, pubescentibus, valvarum fere longitudine; vaginis laevibus; culmo uninodi.

SYNONYMA.

α Paspalum (platycaulon) caule compresso, pedunculis longissimis, fasciculatis; spicis 2 s. 3, sessilibus; floribus alternis, bifariis, sessilibus. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 35. (ex herbario Cl. Lamarckii.)

β Paspalum (tristachyon) spicis ternis subdigitatis filiformibus, flosculis sessilibus alternis oblongis. *Lam. Ill. Vol.* 1. *p.* 176. (ex herbario auctoris.) — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 34.

Milium (compressum) spicis subternis, flosculis alternis muticis rachi appressis; culmo medio articulato compresso, pedunculis longissimis.

Swartz. Prodr. p. 24. — *Ejusdem Fl. Ind. Occ. Vol.* 1. *p.* 183. (ex specim. auctoris.) — *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 359.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, perennis.

Culmi pedales aut sesquipedales, erecti.

Rami duo ad quatuor, aphylli, florigeri e sinu vaginae folii supremi, subtriquetri.

Nodus unicus in medio caule, pubescens.

Vaginae compressae, glabrae, fauce nudiusculae, margine ciliatae: suprema longissima, ancipiti.

Ligula brevissima.

Folia lineari-lanceolata, plana, obtusiuscula, basi carinata, rotundata, paullo ciliata, margine scabra, in α pubescentia, in β glabra.

Spicae duae conjugatae; tertia, si adest, paullo remota.

Rachis universalis saepissime nulla.

Raches partiales sesqui- ad triunciales, spiculis aliquanto angustiores, triquetrae, subflexuosae, margine scabriusculae.

Pedicelli solitarii, brevissimi.

Spiculae lanceolatae aut oblongo-lanceolatae, aliquanto remotae.

Glumae acutiusculae, pubescentes, quinquenerves, albo-virescentes.

Valvae glumis paullo breviores, albidae, obtusiusculae.

LOCI NATALES.

α Insula Mauritii. *Dupetit-Thouars.*

β In pascuis sterilibus Jamaicae plerumque subalpinis, vulgare. *Swartz.* — America meridionalis. *Richard.* — Portorico. *Ledru.* — Peruvia. *Humboldt* et *Bonpland.* — Hispaniola. *Poiteau* et *Turpin.*

Exempla mecum communicaverunt DU-

PETIT-THOUARS, POITEAU, TURPIN, THUILLIER et WILLDENOW.

OBSERVATIONES.

I. In locis humidis haec planta interdum stolonibus longis, ramosis, multinodis et radicantibus praedita occurrit. Tunc rami erecti sunt, itidemque uno tantum nodo instructi, quae est singularis hujus graminis nota.

II. Haec species magnam cum Paspalo capillari *Lamarckii* similitudinem habet. Cum autem nimis mancum sit, quo Clarissimi *Richardii* benevolentia utor specimen, prope Cayennam ab ipso repertum, utriusque notas non satis distincte demonstrare possum. Id tantum video, spicas breviores, spiculas minores esse, tum etiam hoc, culmum plures nodos habere. Addo quae viri doctissimi, *Lamarckius* et *Poiretius*, attulerunt:

Paspalum (capillare) spicis geminis ternisve filiformibus; pedunculis capillaribus, floribus ovato-oblongis, alternis. *Lam. Illustr. Vol.* 1. *p.* 176. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 34.

Cette plante s'élève peu. Sa tige est menue, rameuse à sa base, filiforme, garnie de feuilles courtes, élargies, glabres, les inférieures plus longues. Les gaînes, surtout celles des feuilles inférieures, sont velues, particuliérement sur leurs bords et à leur orifice. De la dernière feuille sort un faisceau de pédoncules capillaires, longs, inégaux. Les fleurs sont disposées sur cinq à sept épis courts, filiformes. Elles sont sessiles, alternes, glabres, ovales-oblongues, presque sur un seul rang. Cette plante, originaire des pays chauds de l'Amérique, en a été rapportée par le Citoyen Richard. *Poiret* l. c.

III. *Poiretio* auctore haec quoque species a nostra differt:

Paspalum (molle) caule debili, spicis subternatis, alternis; flosculis bifariis, pedicellatis.

Cette espèce a quelques rapports avec la précedente, (Paspalum tristachyon) mais elle est plus petite dans toutes ses parties. Sa tige est foible, peu élèvée; ses feuilles molles, très-glabres, étroites, alongées. Deux ou trois épis courts, alternes terminent la tige. Ils sont composés de fleurs alternes, les unes pédiculées, les autres presque sessiles, ovales, obtuses, placées sur deux rangs. Le rachis est étroit, filiforme, nu, un peu flexueux. Cette plante croît en Amérique, à l'île Saint-Thomas, où elle a été recueillie par le Citoyen Ledru. *Poiret. l. c.*

19. PASPALUS LEPTOSTACHYOS.

Diff. spec. P. spicis pluribus simplicibus; rachi triquetra, spiculis angustiore; glumis lanceolatis, pubescentibus, valvis tertia parte longioribus; vaginis laevibus; culmo multinodi.

SYNONYMUM.

Paspalum leptostachyon. *Humboldt* et *Bonpland*.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, annua.

Culmus erectus, quadri- ad quinquepedalis, ramo uno alterove aphyllo florigero e vaginis superioribus egrediente, praeditus.

Nodi circiter quatuor, villosi.

Vaginae laeves, compressae.

Ligula pilis brevibus tecta.

Folia linearia, glabra, plana, basi carinata.

Spicae circiter duodecim, simplices:

inferiores alternae, remotae, superiores subverticillatae.

Rachis universalis septem ad undecim uncias longa, laevis.

Raches partiales quinque- ad novemunciales, spiculis angustiores, triquetrae, subflexuosae, margine scabrae.

Pedicelli brevissimi, solitarii.

Spiculae remotae.

Glumae lanceolatae, basi paullo latiores, pubescentes, quinquenerves; *interiore* acutiore.

Valvae oblongo-lanceolatae, obtusiusculae, stramineo-fuscae, glumis tertia parte breviores.

LOCUS NATALIS.

America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland.*

20. PASPALUS SCOPARIUS.

Diff. spec. P. spicis numerosis: inferio-

tribus ramosis; rachi triquetra, spiculis angustiore; glumis lanceolatis, pubescentibus, valvarum longitudine; vaginis scabris; culmo multinodi.

SYNONYMUM.

Paspalum scoparium. *Humboldt* et *Bonpland.*

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmus tripedalis aut altior, superne angulatus, scaber, ramo florigero aphyllo e vaginis superioribus.

Nodi plures, jam glabri, jam villosi.

Vaginae compressae, scabrae.

Ligula pilosa.

Folia lato-linearia, glabra, margine scabra.

Spicae circiter viginti: superiores simplices, subverticillatae: inferiores alternae aut suboppositae: una

alterave ramis quinque ad novem praedita.

Rachis universalis pedalis aut semipedalis, scabriuscula.

Raches partiales quinque- ad novemunciales, spiculis duplo fere angustiores, triquetrae, paullo flexuosae, margine scabrae.

Pedicelli solitarii, brevissimi.

Spiculae remotiusculae.

Glumae lanceolatae, paullo pubescentes, albidae, tandem purpurascentes, quinquenerves: *exteriore* aliquanto longiore.

Valvae stramineae, acutiusculae, apice pubescentes, glumae interioris longitudine.

LOCUS NATALIS.

America meridionalis v. g nova Barcellona. *Humboldt* et *Bonpland*.

* * *Pedicellis geminatis pluribusve, aut divisis.*

21. PASPALUS PUNCTATUS.

Diff. spec. P. spicis pluribus; rachi subtriquetra, hirsuta, spiculis duplo angustiore; glumis ovato-lanceolatis, acuminatis, pilosis, valva mucronata longioribus; culmo superne pubescente.

SYNONYMA.

Milium punctatum. *Linn. Amoen. Acad. Vol.* 5. *p.* 392.

Milium (*punctatum*) paniculae ramis simplicissimis, floribus alternis secundis geminis. *Linn. Spec. Pl. Vol.* 1. *p.* 91. — *Swartz. Obs. p.* 37. — *Willd. Spec. Plant. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 359. (ex herbario auctoris.)

DESCRIPTIO.

Radix mihi ignota.

Culmus pedalis aut bipedalis, erectus,

simplex, superne magis minusve pubescens.

Nodi subhirsuti.

Vaginae glabrae, fauce subpilosae.

Ligula brevissima.

Folia linearia, plana, glabra, margine scabriuscula.

Spicae sex ad decem, subalternae, tandem rachi appressae: infima breviter pedunculata.

Rachis universalis tri-ad quinqueuncialis, basi praesertim hirta.

Raches partiales unciales aut sesquiunciales, subtriquetrae, spiculis duplo saltem angustiores, pilosae.

Pedicelli pubescentes, apice capituliformes, linea circulari atropurpurea cincti, geminati aut, si mavis, bipartiti: superiores simplices.

Spiculae ovato-lanceolatae, paullo longiores quam in Paspalo annulato.

Glumae subaequales, basin versus prae-

sertim pilosae, obscure trinerves, acutissimae, virescentes, rarius coloratae: *exterior* paullo brevior.

Valvae albidae, glumis tertia parte breviores, oblongae, obtusae: *interior* mucrone pubescente lineam fere longo terminata: *exterior* mutica.

LOCI NATALES.

In graminosis udis Jamaicae. *Linné*. *Swartz*. — Insulae Caribaeae (*Richard*) ac nominatim Insula St. Thomae. *Ventenat*.

Specimina mecum communicaverunt ROHDÉ et VENTENAT.

OBSERVATIONES.

I. Haec species cum proxime sequente a caeteris Paspalis statim distinguuntur valva interiori mucronata et pedicellis, quorum apex capituliformis partim colorata quandam cum muscorum apophysi similitudinem habet.

II. Paspalum villosum *Thunbergii* ab omnibus speciebus hic descriptis satis differre mihi videtur; attamen Paspalo punctato proxime affine esse, crediderim:

Paspalum (villosum) spicis alternis, secundis, rachi hirsuta, floribus duplici ordine alternis secundis.

i Juu vulgo Fankusa. *Kaempf. Amoen. Fasc.* 5. *p.* 899.

Crescit juxta Nagasaki.

Floret Julio.

Culmus glaber, tripedalis. Folia subscabrida, glabra, striata, brevia. Spicae tres seu quatuor, alternae, secundae, flosculis duplici ordine, alternis secundis. Rachis valde hirsuta. Calycinae glumae aequales, aequivalves, ovatae, acutae, villosae, pallidae, linea triplici elevata viridi. *Thunb. Flor. Jap. pag.* 45. *Tab.* 8.

Ad *Thunbergianam* plantam ex sen-

tentia Clarissimi *Willdenowii* (Spec. Plant. Vol. 1. P. 1. p. 331.) referendum est:

Paspalum distichum *Houttuyn.*

Zweyährig oder zweyzeilig nicht aber zweyseitig soll diese Grasart nach des Ritters Bestimmung seyn, es scheint aber, als ob dieser Beynahme eher einer ähnlichen in Japan von Herrn D *Thunberg* entdeckten Grasart zukomme. Das Exemplar, welches Herr *Houttuyn* davon erhalten, hielte eine Höhe von ohngefähr zween Schuhen, man konnte deswegen nur einen Theil davon samt den Aehren in natürlicher Gröſse auf Tab 89. f. 4. anbringen, wobey sich noch ein Blatt, deren nur zwey an dem Halm saſsen, befindet. Die Blätter sind lanzettförmig. Der Halm rund, und endigt sich mit einer aus vier Aehren bestehenden Rispe, die auf beyden

Seiten mit eyrunden Saamengehäusan besetzt ist, deren äussere Bedeckungen die Kelchbälglein ausmachen, und deren innere von den härtern Spelzen herkommen, die sich eben so in einander schliessen, wie es fast an allen Arten dieser Gattung gewöhnlich zu seyn scheint. Es ist daher kein Zweifel übrig, ob selbige nicht eine Art des Pfannengrases seyn müsse. Am vorzüglichsten unterscheidet sich diese Art dadurch, daſs die Blümchen nicht an einer häutigen Spindel aufsitzen, sondern daſs sie auf beyden Seiten wechselsweise an einer runden zottigen Spindel befessigt sind. Die häutige Spindel kann auch überdieſs für kein wesentliches Kennzeichen angenommen werden, die Arten dieser Gattung darnach zu bestimmen.

Houtt. Pfl. Syst. Th. 12. *p.* 219.

22. PASPALUS ANNULATUS.

Diff. spec. P. Spicis pluribus; rachi triquetra, glabra, spiculis quadruplo angustiore; glumis ovato-lanceolatis, acutis, pilosis, valva mucronata longioribus; culmo superne glabro.

SYNONYMA.

Milium (ramosum) culmo ramoso, floribus paniculatis subbinatis hirsutis. *Retz. Obs. bot. fasc.* 6. *p.* 22.— *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 361. (ex specim. auctor.)

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, perennis.

Culmi decumbentes, ramosi, circiter sesquipedales, superne glabri.

Nodi pubescentes.

Vaginae subcompressae, glabrae, fauce pilis brevioribus barbatae.

Ligula vix conspicua.

Folia linearia, plana, glabra, basi carinata, margine laeviuscula.

Spicae circiter quindecim, alternae aut geminatae: superiores subsessiles: inferiores pedunculo unciali aut semiunciali suffultae.

Rachis universalis semipedalis, glaberrima.

Raches partiales unciales aut sesquiunciales, triquetrae, spiculis quadruplo angustiores, glaberrimae.

Pedicelli scabriusculi, apice capituliformes, annulo nigricante cincti, multo longiores quam in Paspalo punctato, bipartiti: superiores indivisi.

Spiculae ovato-lanceolatae, laxe imbricatae.

Glumae acutae, subaequales, pilosae, obscure trinerves, virescentes aut parum violaceae.

Valvae albidae, glumis tertia parte fere breviores, oblongae, obtusae: *inte-*

rior mucrone breviori pubescente terminata: *exterior* mutica.

LOCUS NATALIS.

India orientalis. *Klein.*

OBSERVATIO.

I. Proxime antecedentis similis est, quamquam, ut e descriptione apparet, satis ab eo differt. *Retzio* teste plures paniculae longe pedunculatae e superioribus vaginis emergunt: equidem non nisi unam vidi: tum etiam stigmata semper eodem modo, quo in reliquis, comparata reperi.

II. Quod *Thunbergius* de suo Milio globoso commemorat, pedicellis cingulo luteo praeditum esse, in opinionem me inducit, hoc quoque gramen forsan Paspali speciem duobus prioribus similem esse.

Milium (globosum) panicula pa-

tula, glumis muticis, pedicellis cingulo luteo.

Culmus simplex, erectus, pedalis et ultra. Folia vaginantia vaginis fauce et marginibus ciliatis, lanceolata, striata, scabra, integra, marginata, patula, vix digitalia. Panicula patula, subovata. Pedunculi et pedicelli capillares, flexuosi, infra apicem cingulo luteo notati. Calyces ovati, obtusi, mutici, glabri, fusco-virides.

Thunberg Fl. Jap. p. 49.

23. PASPALUS DEBILIS.

Diff. spec. P. spicis subquinis, approximatis; rachi triquetra, spiculis duplo angustiore, glumis lanceolatis, acuminatis, valvis muticis longioribus; culmo decumbente.

SYNONYMA.

Paspalum (debile) spicis alternis, sub-

digitatis, filiformibus, interruptis; floribus geminis adpressis; altero subsessili, altero pedunculato. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 34. (excluf. synon. Linn. et Burm.)

Panicum (debile) spicis digitatis, interruptis, subquinis, filiformibus; floribus binis, secundis, appressis: altero sessili, altero pedicellato. *Desfont. Fl. Atl. Vol.* 1. *p.* 59. (ex specim. auct.)

Panicum filiforme. *Poiret Itin. Vol.* 2. *p.* 93. (ex specimine auctoris ab Amiciss. Rohdéo mecum communicato.)

Digitaria (debilis) spicis digitatis subquinis erectis, calycibus lanceolatis cuspidatis margine scabris, foliis glabris, vaginis superioribus margine ciliatis. *Willd. Enum. p.* 91. (ex herbario auctoris.)

DESCRIPTIO.

Radix nondum cognita.

Culmus circiter bipedalis, decumbens.

Nodi subpilosi.

Vaginae internodiis breviores, glabrae aut pilis hinc inde adspersae, fauce nudae.

Ligula exserta.

Folia linearia, planiuscula, glabra, margine laevia: inferiora paullo pubescentia.

Spicae tres ad septem, approximatae.

Rachis universalis octo ad quatuordecim lineas longa, scabra: axillis nudis.

Raches partiales triquetrae, flexuosae, margine scaberrimae, ciliato-serratae, tri- quadriunciales, spiculis duplo angustiores.

Pedicelli gemini, scabri.

Spiculae lanceolatae, acuminatae, rachi adpressae, remotiusculae.

Glumae quinque- ad septemnerves, glabrae, margine subciliatae: *interior* praesertim valvis longior.

Valvae albidae.

LOCUS NATALIS.

In pascuis prope la Calle in Numidia veteri. *Desfontaines. Poiret.*

OBSERVATIO.

Hanc speciem a sequenti diversam esse, abunde docuisse mihi videor. Panicum quidem sanguinale *Linnéi* nullo modo ad hoc genus referri potest, quod contra eam dico, quam Clar. *Persoonius* sub Panico sanguinali attulit, adnotationem:

„Vix specie diversum est Panicum filiforme, quod idem videtur ac Panicum debile *Desfont.*"

Perf. Syn. Vol. 1. p. 85.

24. PASPALUS FILIFORMIS.

Diff. spec. P. spicis paucioribus, approximatis; rachi triquetra, spiculis duplo angustiore; glumis elliptico-lanceolatis, acutis: interiore valvis muticis paullo breviore; culmo stricto.

SYNONYMA.

Panicum (filiforme) spicis subdigitatis, approximatis, erectis, filiformibus: rachi flexuosa, dentibus bifloris: altero sessili. *Linn. Spec. Pl. Vol.* 1. *p.* 85.

Panicum (filiforme). *Schreb. Gram. Vol.* 1. *p.* 124 (sub Panico sanguinali.)

Milium (paniceum) spicis subdigitatis, alternis, approximatis, filiformibus; flosculis secundis, muticis, adpressis trigonis. *Swartz. Prodr. p.* 25. — *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *p.* 360.

Milium (paniceum) spicis subdigitatis, alternis, patentibus, filiformibus, flosculis trigonis, muticis, geminapedicellatis, secundis. *Swartz. Fl. Ind. occ. Vol.* 1. *p.* 179.

Syntherisma (villosa) culmo erecto, foliis ad medium usque villosissimis, panicula terminali composita spicis secundis alternis, dentibus bifloris,

floribus subhirsutis. *Walt. Fl. Carol. p.* 77. (ex sententia Cl. *Boscii.*)

Digitaria (pilosa) culmis erectis: foliis angustioribus vaginisque pilosissimis: spicis pluribus, setaceis; floribus minutis, remotiuscule geminis, utroque pedicellato: glumae valvula extima postica fere caeterarum longitudine. *Michauſ. Flor. Americ. Vol.* 1. *p.* 45.

Digitaria (villosa) culmis erectis, foliis vaginisque villosis, spicis pluribus setaceis. *Perſ. Syn. Vol.* 1. *p.* 85.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, annua.

Culmi magnitudine varii, biunciales, palmares et pedales in uno eodemque cespite, imo aliquando bipedales, plerumque simplices, stricti, superne nudi, filiformes.

Nodi glabri aut aliquanto hirsuti.

Vaginae glabrae, margine membranaceae: inferiores saepius valde pilosae.

Ligula exserta.

Folia linearia, plana, basi carinata: superiora glabra: inferiora plerumque hirsuta.

Spicae 1 ad 3, rarius 5, approximatae.

Rachis universalis laevis, semi- ad sesquiuncialis, rarius nulla.

Raches partiales filiformes, triquetrae, unciales ad quinqueunciales, spiculis duplo triplove angustiores, paullo flexuosae, margine scabrae.

Pedicelli gemini, rarius terni.

Spiculae elliptico-lanceolatae, acutae, aliquanto remotae.

Glumae pubescentes, septemnerves, albidae, tandem coloratae: *interior* praesertim valvis paullo brevior.

Valvae striatae, stramineae, demum coloratae.

LOCI NATALES.

America septentrionalis. *Kalm. Linné.* — Sabulosa sylvarum Carolinae et Georgiae. *Michaux. Bosc.* — Arida, sabulosa Jamaicae australis. *Swartz.*

Specimina accepi a viris Clarissimis BOSC, CLARION, SWARTZ et WILLDENOW.

OBSERVATIONES.

I. Agrostis lenta *Aitonii* tametsi in India orientali habitare traditur, tamen *Swartzio* auctore (*Flor. Ind. occ. Vol.* 3. *p.* 1969.) huc referenda est. Quod si recte habet, nec eadem ab *Aitonio* planta bis enumerata est: divinare licet, Panicum filiforme, quod illi audit, (*Hort. Kew. Vol.* 1. *p.* 90.) diversam speciem esse. *Aitonius* haec:

Agrostis (lenta) spicis subternis umbellatis, flosculis muticis, oblongis

acutis: valvulis calycinis subaequalibus, foliis vaginisque glabris.

Forked Bent-grass.

Nat. of the East Indies. *John Gerard König.*

Introd. 1778 by *Sir Jos. Banks.*

Fl. Jul. and August. ⊙

Aiton Hort. Kew. Vol. 1. *p.* 96.

II. Panicum filiforme *Jacquini*, (Obs. bot. Fasc. 3. p. 18. Tab. 70.) quod constat, est Panicum aegyptiacum *Retzii.* (Obs. bot. Fasc. 3. p. 8.)

III. De Panico filiformi *Forsteri* (Prodr. p. 8.) non liquet, quoniam auctor non nisi differentiam specificam, a *Linnéo* exhibitam, transscripsit. Natalem locum Paschatis Insulam et Societatis Insulas tradit.

IV, Panicum filiforme *Poiretii* (Itin. Vol. 2. p. 93.) nihil differt a Paspalo debili, auctore ipso profitente.

V. Etiam *Thunbergii* Panicum filiforme

locus certo constitui nequit, quoniam nonnisi haec pauca de eo attulit:

Panicum racemis spicatis digitatis linearibus, floribus binis, altero subsessili. *Thunb. Prodr. Vol.* 1. *p.* 19.

Crescit in Dezima, prope Nagasaki, in Kosido.

Floret Augusto, Septembri.

Thunb. Fl. Jap. p. 48.

VI. Panicum filiforme *Willdenowii* a *Linnéano* differat necesse est, siquidem valvulam interiorem minutissimam esse affirmat.

Panicum spicis subdigitatis, approximatis, erectis, filiformibus, rachi flexuosa, dentibus bifloris: altero sessili, valvula interiore minutissima, culmo foliisque glabris. *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 343.

25. PASPALUS SEROTINUS.

Diff. spec. P. spicis subquinis, approxi-

matis; rachi plana, spiculis paullo latiore; glumis elliptico-lanceolatis, acutis, pubescentibus: interiore valvis triplo breviore; vaginis pilosis; culmo decumbente.

SYNONYMA.

Syntherisma (serotina) culmo decumbente laevi subtereti; foliis collo et fauce villosis; spica composita; spiculis secundis erectis, linearibus; dentibus trifloris alternis; floribus omnibus pedicellatis. *Walt. Fl. Carol. p.* 76.

Digitaria (serotina) decumbens: foliis vaginisque molliter villosissimis: spicis pluribus, setaceis: floribus pusillis, binis, (rarius ternis) omnibus pedicellatis: valvula extima minutissima. *Mich. Fl. Amer. Vol.* 1. *p.* 46.

Digitaria (serotina) culmo decumbente, foliis vaginisque villosis, spicis pluribus setaceis, floribus binis mi-

nutis pedicellatis. *Perſ. Syn. Vol.* 1. *p.* 85.

Digitaria (pilosa) spicis digitatis subquinis erectis, calycibus ellipticis utrinque acutis margine tenuissime subpubescentibus: foliis vaginisque villosis. *Willd. Enum. p.* 91. (excluſ. synon. Michauſii.)

DESCRIPTIO.

Radix adhuc ignota.

Culmus pedalis aut sesquipedalis, decumbens, basi geniculatus, subdivisus.

Nodi pilosi.

Vaginae laxae, internodiis breviores, pilis longis patentissimis obtectae: suprema glabriuscula.

Ligula exserta.

Folia linearia, plana, pilosa.

Spicae quatuor ad quinque, approximatae.

Rachis universalis circiter semiuncialis, laeviuscula.

Raches partiales planae, bi-triunciales, spiculis paullo latiores, margine scabriusculae.

Pedicelli laeves, gemini aut terni: superiore spiculis duplo triplove longiore.

Spiculae elliptico-lanceolatae, acutae, remotiusculae.

Glumae inaequales, pubescentes, albo-virescentes; *interior* uni- ad trinervis, valvis triplo brevior: *exterior* septemnervis, valvarum fere longitudine.

Valvae albidae.

LOCUS NATALIS.

Graminosa, humida Carolinae. *Michaux*. *Bosc*.

26. PASPALUS THOUARESIANUS.

Diff. spec. P. spicis subquinis, approxi-

matis; rachi plana, spicularum latitudine; glumis ellipticis, obtusiusculis: interiore valvis dimidio breviore; vaginis glaberrimis, culmo erectiusculo.

DESCRIPTIO.

Radix mihi nondum visa.

Culmus erectus, bipedalis aut altior.

Nodi glaberrimi.

Vaginae internodiis breviores, glabrae, fauce pilis rarioribus praeditae.

Ligula subexserta.

Folia linearia, plana, glabra, margine laeviuscula.

Spicae circiter quinque, approximatae.

Rachis universalis fere uncialis, laevis: axillis nudis.

Raches partiales tri- quadriunciales, spicularum latitudine, rectae, margine laeves.

Pedicelli terni aut quaterni, rarius gemini.

Spiculae minutae, ellipticae, obtusiusculae, irregulari modo imbricatae.

Glumae tenuissime pubescentes: *interior* valvis dimidio brevior, quinquenervis: *exterior* valvarum longitudine, septemnervis.

Valvae coracinae, punctulatae.

LOCUS NATALIS.

Madagascar. *Aubert Aubert Dupetit-Thouars.*

OBSERVATIO.

Quodammodo similis Paspalo serotino, at statim dignoscitur spicularum forma valvisque aterrimis.

27. PASPALUS BREVIFOLIUS.

Diff. spec. P. spicis duabus, conjugatis; rachi plana, spiculis paullo latiore; glumis oblongo-lanceolatis,

acutis, aequalibus, valvarum longitudine; vaginis glabriusculis; culmo repente.

SYNONYMA.

Paspalum (longiflorum) spica gemina, flosculis ovali-oblongis. *Retz. Obs. bot. Fasc.* 4. *p.* 15. — *Gmelin. Syst. Nat. Vol.* 2. *P.* 1. *p.* 155.

Paspalum (longiflorum) spicis duabus, sessilibus, erectis, flosculis ovali-oblongis; culmo adscendente ramoso. *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 332.

Panicum longiflorum. *Gmel. l. c. p.* 158.

Digitaria longiflora. *Pers. Syn. Vol.* 1. *p.* 85.

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmi repentes, ramosi, stoloniferi, radicantes.

Rami unciales ad octounciales, adscendentes, basi saepius geniculati.

Nodi superiores glaberrimi, inferiores pilosi.

Vaginae laxae, margine membranaceae, glabrae aut pubescentes: suprema longissima subcompressa.

Ligula exserta, lacerata.

Folia patentia, lanceolata aut lineari-lanceolata, plana, glabra, margine scabriuscula.

Spicae duae, conjugatae, rarissime tres, erectae, tandem patentes.

Rachis universalis nulla.

Raches partiales semi- ad sesquiunciales, spiculis paullo latiores, rectiusculae, margine laeves.

Pedicelli terni, rarius gemini, laeves.

Spiculae oblongo-lanceolatae, acutae, subtrifariam imbricatae.

Glumae aequales, septemnerves, jam

glabrae, jam tenuissime pubescentes, apice interdum coloratae.

Valvae albidae, glumarum longitudine.

LOCI NATALES.

In Malabaria ad agrorum margines. *Koenig.* — Insula Mauritii. *Dupetit-Thouars.* — Tranquebaria. *Klein.*

Exempla debeo Viris Amicissimis DUPETIT-THOUARS et WILLDENOW.

OBSERVATIO.

Quae *Retzio* causa fuerit, cur huic speciei nomen triviale *longiflori* inderet, plane non intelligo, quum spiculae ne lineae quidem longitudinem habeant. Caeterum meam plantam eandem esse ac *Retzii*, plane persuasus sum, visis speciminibus a *Schrebero*, *Rothio* missis, quae prae originalibus habenda sunt, cum *Schreberus* collectione graminum *Retziana* ad definitionem suae

usus sit. Inter omnes Paspali species mihi cognitas haec brevissima habet folia, quae inprimis in culmis repentibus saepe ne semiuncialia quidem sunt.

28. PASPALUS SETACEUS.

Diff. spec. P. spicis subtribus, solitarisve; rachi convexiuscula, spiculis angustiore; glumis orbiculato-obovatis, obtusiusculis, aequalibus, trinervibus, valvarum longitudine; vaginis foliisque hirsutis.

SYNONYMA.

α Spicis longioribus, culmo stricto, foliis villosis.

Paspalum (setaceum) strictum, erectum: culmo setaceo: foliis villosissimis: spica unica, gracili: glumis geminis, suborbiculato-obovatis, glabris. *Mich. Fl. Americ. Vol. 1. p. 43.*

Paspalum (hirsutum) spicis alternis

subbinis; rachi membranacea; calicibus multinerviis, laevibus, foliis pedicellisque hirsutis. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 28. (exclus. synon. Retzii.)

Paspalum pubescens *Mühlenberg inedit.*

Paspalum (pubescens) spicis alternis subternis, rachi lineari flexuosa, calycibus subrotundis, uninerviis, glabris, foliis planis, pubescentibus, vaginis superioribus pilosis. *Willd. Enum. p.* 89.

β Spicis brevioribus, culmo decumbente, foliis hirsutis margine pilis longis ciliatis.

Paspalum supinum *Bosc. inedit.*

Paspalum (supinum) spicis binis, altera pedunculata; floribus secundis sessilibus, subsolitariis; foliis hirsutis, caule repente. *Poiret. l. c. p.* 29.

Paspalum (ciliatifolium) foliis latiussulis, pubescentibus, serrulato-cili-

atis: culmo summitate 1 — 2-stachyo: spicis longis: glumis quasi triseriatis, geminis, suborbiculato-obovatis, obtusissimis glabris. *Mich. Fl. Americ. Vol. 1. p. 44.*

DESCRIPTIO.

Gramen polymorphum.

Radix perennis.

Culmi compresso-triquetri, superne filiformes, jam glabri, jam pubescentes, simplices aut ramo uno alterove aphyllo, florigero praediti, in α stricti, bipedales, in β dimidio breviores, decumbentes, geniculati.

Nodi nudiusculi.

Vaginae plus minusve villosae, aut hirsutae, laxae, subcompressae, in hortensi planta interdum glabrae.

Ligula inclusa.

Folia lineari-lanceolata, basi rotundata,

plana, villosa, in planta culta pubescentia, in β pilis longis ciliata.

Spicae 1 — 3, alternae.

Rachis universalis (si adest) semi- ad biuncialis, subtriquetra, glabra aut pubescens: axillis pilosis.

Raches partiales aliquanto flexuosae, glabrae aut inferne pubescentes, spiculis paullo angustiores, convexae, demum explanatae, in α bi- ad triunciales, in β vix sesquiunciales.

Pedicelli geminati, glabri aut paullo pubescentes: altero tereti: altero antice alato: ala in racheos costam protuberantem decurrente.

Spiculae orbiculato-obovatae aut ovatae, obtusiusculae, subtrifariam imbricatae.

Glumae distincte trinerves, aut obscure quinquenerves, glabrae aut tenuissime pubescentes.

Valvae albidae, glumarum longitudine.

LOCI NATALES.

α In aridis Carolinae inferioris. *Bosc.* *Michaux.* *Mühlenberg.* — In Insula Hispaniola. *Poiteau* et *Turpin.*

β In Carolina. *Bosc.* *Michaux.*

Specimina in loco natali collecta accepta refero Viris Clarissimis BOSCIO et SCHRADERO; hortensia WILLDENOWIO.

OBSERVATIONES.

I. Paspalum hirsutum *Retzii* ad Synonyma hujus speciei referre dubito, cum parum verisimile sit, hanc Sinensem plantam eandem esse ac nostram ex America septentrionali oriundam. Utramque vero similem esse haec descriptio docet:

Paspalum (hirsutum) spicis alternis subbinis, rachi membranacea, calycibus multinerviis laevibus, foliis pedicellisque hirsutis.

Culmi erecti, foliosi, superne pilosi. Folia et vaginae undique pilosa; oris barbatis, plana, nervosa. Spicae erectiusculae, subsessiles, alternae, in meo exemplari binae. Rachis, quam in scrobiculato, angustior. Flores secundi, glabri, pedicellati: pedicellis pilosis, calycibus 3 — 5-nerviis.

E China misit Cel. Bladh. *Retz. Obs. bot. Fasc.* 2. *p.* 7.

II. *Poiretius* conjicit in fine descriptionis Paspali hirsuti, Paspalum pilosum *Lamarckii* forsan tantum varietatem esse. Quod quam sit verisimile, ex his apparet:

Paspalum (pilosum) spica solitaria; flosculis ellipticis, alternis, confertis; rachi pilosa; foliis villosissimis. *Lam. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 175. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 28.

Ses tiges, grèles, velues, flexueuses, sont terminées par un épi très-long, muni de fleurs nombreuses, alternes, elliptiques, très-rapprochées, légérement pédiculées, portées sur un rachis garni de poils longs et fins, offrant à sa base une touffe d'autres poils blanchâtres. Les valves extérieures sont munies à leur base, d'un renflement remarquable. Elles renferment des semences blanchâtres, bordées et concaves en dessous. Les feuilles sont longues, striées, fortement velues. Le Citoyen *Richard* a recueilli cette plante dans les pays chauds de l'Amérique. *Poiret l. c.*

III. Etsi *Michausius* Paspalo debili „*glumas uniseriatas*" adscribit, mihi tamen varietas tantum Paspali setacei esse videtur, tum quoniam ejus descriptio in reliquis partibus cum nostro gramine perfecte convenit,

tum etiam quia ipse vir doctissimus in Flora locum ei inter Paspalum setaceum et ciliatifolium assignavit.

Paspalum (debile) culmo debili, summitate setaceo: foliis hirsutis: spica plerumque unica, tenui: glumis uniseriatis, contigue alternis, solitariis, inconspicue puberulis, brevi-obovatis.

Habitat in maritimis Carolinae et Georgiae.

Mich. Fl. Amer. Vol. 1. *p.* 44.

29. PASPALUS CAESPITOSUS.

Diff. spec. P. spicis subquaternis, alternis; rachi plana, spicularum latitudine; glumis obovatis, obtusiusculis, quinquenervibus, subpubescentibus; foliis planis, glabris.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, perennis.

Culmi caespitosi, pedales aut bipedales, erecti, tenues, simplices.

Nodi subpubescentes.

Vaginae glabrae, fauce non nimis pilosae.

Ligula brevissima.

Folia linearia, plana, glabra, ima basi pilis nonnullis ciliata.

Spicae tres aut quatuor, alternae, remotae, sordide virescentes.

Rachis universalis circiter biuncialis, laevis: axillis subpilosis.

Raches partiales unciales aut sesquiunciales, planae, spicularum latitudine, subflexuosae, margine scabriusculae.

Pedicelli gemini, subincurvi.

Spiculae obovatae, obtusiusculae, tri- aut quadrifariam imbricatae.

Glumae quinquenerves, tenuissime pubescentes: *interior* plerumque valvis aliquanto brevior: *exterior* valvarum longitudine.

Valvae laeves, stramineae.

LOCI NATALES.

Insula Hispaniola. *Poiteau* et *Turpin.* — Essequebo. *Domina van de Moer.* (Herbar. Mertenſ.)

Specimina mecum communicaverunt POITEAU et WILLDENOW.

30. PASPALUS GLABER.

Diff. spec. P. spicis subquaternis, alternis; rachi plana, spicularum latitudine; glumis obovatis, obtusiusculis, trinervibus: interiore pubescente: exteriore nuda; foliis glabris, subcarinatis.

SYNONYMUM.

Paspalum (glabrum) spicis 3, 5, 4, alternis, sessilibus, glaberrimis; flosculis geminis, pedunculatis, bifariis. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 30.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, perennis.

Culmi erecti, simplices, circiter tripedales.

Nodi glabri.

Vaginae glaberrimae, fauce barbatae.

Ligula lacerata.

Folia linearia, basi carinata, utrinque glabra, margine scabriuscula.

Spicae tres ad quinque, alternae, virescentes.

Rachis universalis triuncialis aut paullo longior, teretiuscula, superne scabra: axillis subpilosis.

Raches partiales biunciales aut aliquanto longiores, spicularum latitudine, apicem versus praesertim flexuosae.

Pedicelli bipartiti.

Spiculae obovatae, obtusiusculae, trifariam imbricatae.

Glumae trinerves: *interior* pubescens,

atomis rubris adspersa: *exterior* glabra, aliquando binervis.

Valvae albidae, glumarum longitudine.

LOCI NATALES.

Insula Portorico. *Ledru.* — Hispaniola. *Poiteau* et *Turpin.*

Exempla debeo Viris Clarissimis POIRET et POITEAU.

OBSERVATIONES.

I. A Paspalo caespitoso distinguitur: statura robustiore, spicis spiculisque duplo majoribus, glumis trinervibus nec quinquenervibus.

II. Rarissime reperitur parva gluma accessoria.

31. PASPALUS FORSTERIANUS.

Diff. spec. P. spicis subquaternis, alternis; rachi plana, spiculis paullo latiore; glumis elliptico-lanceolatis,

acutiusculis, quinquenervibus, glabris; foliis undulatis.

SYNONYMUM.

Paspalum (undulatum) spicis calycibusque alternis, rachi angulata, foliis vaginantibus undulatis. *Spreng. Cent. p.* 5.

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmus sesquipedalis aut altior.

Vaginae glabrae.

Folia lato-linearia, glabra, „margine undulata." *Sprengel.*

Spicae circiter quatuor, alternae, ex luteo virescentes.

Rachis universalis biuncialis, aut paullo longior, angulata, laeviuscula.

Raches partiales bi- triunciales, spiculis aliquanto latiores, flexuosae, margine scabrae.

Pedicelli bipartiti, triquetri, subpubescentes.

Spiculae elliptico-lanceolatae, acutiusculae, subtrifariam imbricatae.

Glumae quinquenerves, glabrae: *interior* saepius valvis paullo brevior: *exterior* valvarum longitudine.

Valvae stramineae, nitidae, (lente maxime augente) punctulatae.

LOCUS NATALIS.

Nova Caledonia. *Forster*.

Specimen accepi ab Amicissimo MEYERO, quocum *Forsterus* Paspali undulati nomine insignitum communicaverat.

32. PASPALUS UNDULATUS.

Diff. spec. P. spicis pluribus; rachi plana, spiculis paullo angustiore; glumis ellipticis, obtusiusculis, quinquenervibus: interiore pubescente:

exteriore subplicata; foliis glabris, basi pilosis.

SYNONYMA.

Paspalum (undulatum) spicis pluribus, alternis, pedunculatis, basi pilosis; flosculis bifariis, subsessilibus; valvulis exterioribus margine undulatis. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 29. (ex herbario auctoris.)

Paspalum (plicatulum) erectum, glaberrimum, laeve: foliis angusto-longis: spicis pluribus, alternis, erectis: glumis quasi triseriatis, brevibus, ovatis, subrufescentibus, glabris; valvula plana juxta margines transverse plicatula. *Mich. Fl. Amer. Vol.* 1. *p.* 45.

Paspalum (plicatum) erectum, glabrum, spicis pluribus alternis erectis, glumis subtriseriatis, ovatis (subru-

fescentibus) valvula plana margine plicatula. *Pers. Syn. Vol.* 1. *p.* 86.

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, perennis.

Culmi bipedales aut altiores, robusti, erecti, basi subdivisi.

Nodi glaberrimi.

Vaginae glabrae, margine subciliatae, fauce nudae.

Ligula brevis, fusca.

Folia linearia, carinata, glabra, in superiori pagina basin versus margineque pilis longis adspersa.

Spicae quinque ad duodecim, fuscae.

Rachis universalis tri- ad quinqueuncialis, scabriuscula, semiteres, superne triquetra: axillis subpilosis.

Raches partiales unciales ad triunciales, spiculis paullo angustiores, apicem versus flexuosae.

Pedicelli gemini, subpubescentes.

Spiculae ellipticae, obtusiusculae, trifariam imbricatae.

Glumae quinquenerves: *interior* convexa, subpubescens: *exterior* planiuscula, glabra, marginem versus plerumque undulato-plicata.

Valvae fusco-nigricantes, nitentes, punctulatae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

Portorico. *Ledru.* — Georgia et Florida. *Michaux.* — America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland.*

Specimina accepi a THUILLIERO, VENTENATIO et WILLDENOWIO.

33. PASPALUS BOSCIANUS.

Diff. spec. P. spicis pluribus; rachi plana, recta, spiculis paullo latiore; glumis subrotundis, obtusis, glabris, quinquenervibus; foliis basi pilosis.

SYNONYMUM.

Paspalum brunneum. *Bosc. inedit.*

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmi erecti, bipedales aut altiores.

Nodi glabri.

Vaginae internodiis longiores, glabrae.

Ligula subexserta.

Folia linearia, plana, glabra, ima basi intus pilis adspersa, margine scabra.

Spicae sex ád septem, alternae, fuscae.

Rachis universalis tri - quadriuncialis, angulata: axillis subpilosis.

Raches partiales bi- triunciales, spiculis paullo latiores, planae, rectae aut subarcuatae.

Pedicelli geminati: superiores saepius solitarii.

Spiculae subrotundae, obtusae, irregulari modo imbricatae.

Glumae glabrae, aequales, quinque-nerves.

Valvae castaneae, nitentes, punctulatae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

In Carolina detexit Clarissimus BOSC, qui mecum exemplaria communicavit.

OBSERVATIO.

Paspalo scrobiculato α et β similis, at differt: spicis copiosioribus, pedicellis longioribus, geminis aut bipartitis, valva exteriori plano-concava nec convexiuscula.

34. PASPALUS MACROSPERMUS.

Diff. spec. P. spicis duabus, alternis; rachi plana, spiculis angustiore; glumis ellipticis, obtusiusculis, glabris, quinquenervibus, foliis basi pilosis.

SYNONYMUM.

Paspalum glabrum *Bosc. inedit.*

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmi circiter tripedales, erecti.

Nodi glabri.

Vaginae compressae, fauce pilosae: superiores longissimae, glabrae, internodiis breviores: inferiores hirsutulae, internodiis longiores.

Ligula brevis.

Folia linearia, subcarinata: inferiora aliquanto hirsuta, basi pilis longissimis ciliata: superiora dua undique glabra.

Spicae in meo specimine duae, alternae.

Rachis universalis uncialis, laeviuscula: axillis pilosis.

Raches partiales bi- triunciales, spiculis angustiores, planae, flexuosae.

Pedicelli gemini, incurvi, scabri: altero in superiore inferioreque spicae parte saepius abortiente.

Spiculae ellipticae, plano - convexae, rachi media trifariam imbricatae.

Glumae aequales, glabrae, quinquenerves.

Valvae stramineae, punctulatae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

In Carolina legit Oculatissimus BOSC, cui specimen, quod in manibus est, acceptum refero.

OBSERVATIO.

Huc mihi referenda videntur:

Paspalum (floridanum) erectum: foliis inferioribus pilosis: superioribus glabris et longissime vaginantibus erectisque: spicis paucioribus erectis: glumis biseriatis, suborbiculatis, glabris, laevibus, majusculis.

Affine Paspalo virgato *Linnéi.*

Habitat in Florida et Georgia.

Mich. Fl. Amer. Vol. 1. *p.* 44.

Paspalum (floridanum) erectum: foliis inferioribus pilosis, vaginis longissimis, spicis erectis, glumis biseriatis suborbiculatis majusculis. *Perf. Syn. Vol.* 1. *p.* 86.

35. PASPALUS CONVEXUS.

Diff. spec. P. spicis subtribus alternis; rachi plana, spiculis hemisphaericis angustiore: glumis subrotundis, obtusis, glabris, quinquenervibus; foliis undique pilosis.

SYNONYMUM.

Paspalum convexum. *Humboldt* et *Bonpland.*

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmus sesquipedalis aut altior.

Nodi glabri.

Vaginae superiores glabrae, internodiis breviores.

Ligula albida, inclusa.

Folia linearia, plana, utrinque pilis rigidis tecta: summum brevissimum, glabrum.

Spicae circiter tres, alternae, remotae.

Rachis universalis semicylindrica, laevis, sesquiuncialis: axillis pilosis.

Raches partiales unciales aut sesquiunciales, spiculis angustiores, planae, apicem versus flexuosae, margine laeves.

Pedicelli gemini, subpubescentes.

Spiculae orbiculatae, sursum paullo latiores, hinc planae, illinc valde convexae, subtrifariam imbricatae.

Glumae aequales, glabrae, quinquenerves.

Valvae glumarum longitudine, fusco-nigricantes, nitentes, (lente maxime augente) punctulatae.

LOCUS NATALIS.

Jorullo. *Humboldt* et *Bonpland.*

36. PASPALUS LENTIFER.

Diff. spec. P. spicis subsenis; rachi plana, spiculis compressis angustiore; glumis subrotundis, obtusis, glabris, trinervibus; foliis glaberrimis.

SYNONYMUM.

Paspalum (lentiferum) spicis alternis sessilibus; floribus compressis, lentiformibus, glabris, subtrifariis. *Lam. Ill. Vol.* 1. *p.* 175.

DESCRIPTIO.

Radix mihi ignota.

Culmus bipedalis aut major, simplex, erectus.

Nodi glabri.

Vaginae glaucae, glabrae, fauce nudae:

superiores circiter octounciales, internodiis breviores.

Ligula brevis, fusca.

Folia linearia, plana, glaberrima, glauca, margine scabra.

Spicae quatuor ad sex, alternae, remotae.

Rachis universalis triuncialis aut paullo longior, laevis: axillis pilosis.

Raches partiales circiter sesquiunciales, spiculis angustiores, rectae, planae, margine scabriusculae.

Pedicelli gemini, incurvi.

Spiculae subrotundae, valde compressae, lentis minoris magnitudine, subtrifariam imbricatae.

Glumae aequales, glabrae, laete virides, rore glauco quasi obductae, trinerves: nervis (in statu sicco) protuberantibus.

Valvae albidae, punctulatae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

Carolina. *Bosc. Fraser.*

Specimen mecum communicavit Liberalissimus BOSC.

OBSERVATIO.

Paspalum praecox *Walteri* et *Michausii* aut haec ipsa, aut species valde affinis est:

Paspalum (praecox) spica composita, spiculis alternis, basi villosis, 5 s. pluribus *trium* ordinum florum; glumis calycinis aequalibus, rachi membranacea *angusta;* antheris luteis, stigmatibus purpureis. *Flos medius sessilis. Walt. Fl. Carol. p. 75.*

Paspalum (praecox *Walt.*) erectum, glabrum: foliis angusto-longis: spicis remote alternis: glumis brevibus, obovatis, laevibus, glabris.

Habitat a Carolina ad Floridam.

Mich. Fl. Amer. Vol. 1. p. 44.

37. PASPALUS paniculatus.

Diff. spec. P. spicis numerosissimis; rachi subtriquetra, glabra, spiculis duplo fere angustiore; glumis obovato-orbiculatis, retusis, pubescentibus, trinervibus; foliis pilosis.

SYNONYMA.

Paspalum (paniculatum) spicis paniculatis verticillato-aggregatis. *Linn. Sp. Pl. Vol.* 1. *p.* 81. (excl. Syn. Sloan.) — *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 331. — *Gaertn. Fruct. Vol.* 2. *p.* 2. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 32.

Paspalum (hemisphaericum) spiculis paniculatis; flosculis subbifariis, binis, uno subsessili, altero pedunculato; rachi basi pilosa. *Poiret l. c. p.* 31. (ex herbario auctoris.)

Icon. Gaertn. l. c. Tab. 80. f. 2.

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmi erecti, saltem tri- aut quadripedales.

Vaginae internodiis longiores, pilosae, fauce valde barbatae: suprema saepius glabra.

Ligula brevissima.

Folia lato-linearia, plana, pilis appressis, rigidiusculis obtecta.

Spicae triginta ad quadraginta, approximatae, graciles, verticillatae, geminae aut solitariae.

Rachis universalis circiter quinqueuncialis, angulata, laeviuscula: axillis pilosis.

Raches partiales subtriquetrae, apicem versus flexuosae, spiculis duplo fere angustiores: inferiores biunciales aut longiores: superiores dimidio breviores.

Pedicelli bipartiti.

Spiculae orbiculato-obovatae, obtusae, tri- aut quadrifariam imbricatae.

Glumae aequales, trinerves, pubescentes, atomis rubris adspersae.

Valvae albidae, glumarum longitudine.

LOCI NATALES.

Jamaica. *Linné.* — Portorico. *Ledru.* — Cayenne. *Thuillier.*

Specimina mecum communicavit THUILLIERUS.

OBSERVATIONES.

I. Huc forsan Paspalum strictum *Persoonii* referendum est, at quis quaeso ex his paucis verbis plantam certo definire valeat?

Paspalum (strictum) paniculato-polystachyum, spicis approximatis, vaginis longis hirsutis, ligula villosa. Hab. in Insul. Antill. et ad St. Domingo. Gramen magnum. *Pers. Syn. Vol.* 1. *p.* 86.

II. Gramen miliaceum panicula viridi vel purpurea. *Sloan. Hist. Vol.* 1. *p.* 115. *Tab.* 72. *f.* 2.
a *Linnéo* et plurimis aliis perperam ad hanc speciem relatum a *Lamarckio*, optimo, ut mihi quidem videtur, jure Panico fusco-rubenti (*Illustr. Gen. Vol.* 1. *p.* 171. — *Enc. meth. Bot. Vol.* 4. *p.* 747.) adscriptum est.
III. *Walterus* ad differentiam specificam *Linnéi* hanc brevem addit adnotationem, e qua tamen apparet diversam esse a *Linnéana*, quam descripsit, plantam.

Paspalum paniculatum.
Panicula longa; spicae angustae longae; flores alterni, acutiusculi, *duplici ordine* digesti.

Walt. Fl. Car. p. 75.

38. PASPALUS ELEGANS.

Diff. spec. P. spicis pluribus; rachi

plana, glabra, spicularum latitudine; glumis obovatis, obtusis, trinervibus foliisque pubescentibus.

SYNONYMA.

Paspalum pubescens *Hortulanorum.*

Paspalum tenellum *Hort. Parif.*

Paspalum (tenellum) spicis alternis suboctonis, rachi membranacea, calycibus ellipticis obtusis, uninerviis, pubescentibus, foliis vaginisque pilosis. *Willd. Enum. p.* 89.

DESCRIPTIO.

Radix perennis.

Culmi bi- tripedales, simplices, erecti.

Nodi glabri aut pubescentes.

Vaginae teretes, internodiis longiores, pubescentes, fauce barbatae.

Ligula exserta.

Folia lineari-lanceolata, plana, utrinque pubescentia, margine ciliata.

Spicae novem ad duodecim, alternae, solitariae aut rarius geminatae.

Rachis universalis quadri- ad sexuncialis, laeviuscula: axillis pilosis.

Raches partiales sesqui- ad biunciales, spicularum latitudine aut iis paullo latiores, planae, rectae, glabrae, margine scabrae.

Pedicelli breves, gemini.

Spiculae obovatae, obtusiusculae, quadrifariam imbricatae.

Glumae trinerves, pubescentes, rubropunctatae, rarius albidae: interior valvis paullo brevior.

Valvae albidae, glumae exterioris longitudine.

LOCUS NATALIS.

Incertus.

Semen hujus graminis a *Cavanillo* primum Monspelium missum, hinc postea in alios Europae hortos transiit.

Exemplaria debeo liberalitati Amicorum ROHDÉ et WILLDENOW.

OBSERVATIO.

Quo casu factum sit, ut nomen triviale *tenelli* nancisceretur, intelligere non possum, cum sit planta robustioris indolis et inferior culmi pars pennam olorinam crassitie excedat. Itaque non opus erit excusatione, quod mihi temperavi ab appellatione, quae prorsus nihil cum re conjuncti habet.

39. PASPALUS DENSUS.

Diff. spec. P. spicis numerosissimis; rachi plana, spicularum latitudine, margine pilosa; glumis subrotundis, retusis, undique glabris, trinervibus; foliis glabris, margine scaberrimis.

SYNONYMUM.

Paspalum (densum) spiculis dense paniculatis, pyramidatis; rachi pilosa

sessili, flosculorum pedicellis ramosis. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 32. (ex herbario auctoris.)

DESCRIPTIO.

Gramen speciosissimum.

Radix perennis.

Culmi superne compresso-triquetri: angulis rotundatis.

Vaginae laxae, longissimae, glabrae, nervosae: nervis anastomosantibus ut in foliis Typhae latifoliae, fauce nudae, margine laeves.

Ligula brevis.

Folia lato-linearia, plana, acuminata, glauca, utrinque glabra, margine serrulata, scaberrima.

Spicae quadraginta ad sexaginta, confertae: inferiores solitariae: superiores subverticillatae.

Rachis universalis sex- ad novemuncialis,

angulata, praesertim apicem versus pilosa.

Raches partiales unciales ad biunciales, spicularum latitudine aut iis paullo latiores, planae, rectae, margine pilis longis copiosisque ciliatae.

Pedicelli bipartiti, ciliati.

Spiculae orbiculatae, sursum aliquanto latiores, retusae, compressae, confertae, quadrifariam imbricatae.

Glumae aequales, trinerves, undique glabrae, stramineae.

Valvae albidae, glumarum longitudine.

LOCUS NATALIS.

Portorico. *Ledru.*

Specimina dedit THUILLIERUS, plantarum Parisiensium scrutator indefessus.

40. PASPALUS VIRGATUS.

Diff. spec. P. spicis pluribus; rachi

plana, spiculis paullo angustiore; glumis obovato-orbiculatis, obtusis, quinquenervibus, apice plerumque hirsutis; foliis glabris, margine scaberrimis.

SYNONYMA.

Gramen dactylon majus, panicula longa, spicis plurimis nudis crassis. *Sloan. Hist. Jam. Vol.* 1. *p.* 112.

α LINNÉANUS: *spicis* 10 — 12; *rachi margine pilosa; glumis apice hirsutis.*

Paspalum (virgatum) spiculis paniculatis alternis basi villosis. *Linn. Spec. Pl. Vol.* 1. *p.* 81.

Paspalum (virgatum) spiculis paniculatis alternis basi villosis, floribus geminis. *Linn. Syst. Nat. Vol.* 2. *p.* 86. — *Murr. Syst. Veg. p.* 105. — *Gaertn. Fruct. Vol.* 2. *p.* 1. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 31. (ex herbario auctoris.)

β SCHREBERIANUS: *spicis circiter triginta; rachi margine subpilosa; glumis undique glabris.*

γ JACQUINIANUS: *spicis* 6 — 12; *rachi margine villosula; glumis apice hirsutis.*

Paspalum virgatum. *Jacq. Coll. Vol.* 1. *p.* 112. — *Ejusdem Icon. rar. Vol.* 1. *p.* 2. — *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 331.

δ WILLDENOWIANUS: *spicis* 7 — 8; *rachi margine serrato-ciliata; glumis apice hirsutis.*

Icon. Sloan. l. c. Tab. 69. f. 2.
α Gaertn. l. c. Tab. 80. f. 1.
γ Jacq. Ic. Tab. 11.

DESCRIPTIO.

Radix crassa, perennis, in δ repens.

Culmi tri- quadripedales, erecti, caespitosi, simplices.

Nodi glabri.

Vaginae laxae, glabrae, internodiis

longiores, fauce barbatae: inferiores margine praesertim pilosae.

Ligula brevissima.

Folia lato-linearia, plana, basi carinata, glabra, margine scaberrima.

Spicae sex ad triginta, alternae, rarius geminae, erectae, tandem patentes.

Rachis universalis quinque- ad septem-uncialis, laevis, superne scabra: axillis pilosis.

Raches partiales tri- quadriunciales, spiculis paullo angustiores, planae, rectae, margine in α et β pilosae, in γ villosulae, in δ serrato-ciliatae.

Pedicelli gemini.

Spiculae compressae, obovato-orbiculatae, obtusiusculae, quadrifariam imbricatae.

Glumae aequales, punctis rubris plerumque adspersae, margine hirsutae, (praesertim apicem versus) rarius

glabrae, quinquenerves: nervis marginalibus approximatis.

Valvae fuscae, punctulatae, glumarum longitudine.

LOCI NATALES.

α Jamaica. *Linné.* — Portorico. *Ledru.*

β America meridionalis. *Schreber.*

γ Insulae Caribaeae. *Jacquin.*

δ In locis siccis prope Param in Brasilia. *Willdenow.*

Exempla dono dederunt SCHREBERUS, THUILLIERUS et WILLDENOWIUS.

OBSERVATIONES.

1. Etsi *Linnéus* in systemate naturae l. c. diserte monet, valvulam calicis exteriorem brevissimam esse: tamen, quod doctissimorum virorum *Smith* et *Turner* amicitia e *Linnéano* herbario ad me transiit, fragmentum documento est, summum virum in hoc

falsum fuisse, cum potius glumae sint aeque longae. Acceperat is exemplar a *Brownéo.*

II. Paspalum quadrifarium *Lamarckii* nostro assimile est. In eadem sententia esse video *Poiretium*, cujus et *Lamarckii* verba haec sunt:

Paspalum (quadrifarium) spicis pluribus erectis subpaniculatis; glumis ovatis 3-f. 4-fariis, rachi pilosa. *Lam. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 176.

Quant au Paspalum quadrifarium de *Lamarck*, citée ici comme variété, quoique différente par son port, elle a tant de rapports avec la plante que je viens de decrire, que je n'ai pu la regarder comme une espèce distincte, malgré ses différences. *Lamarck* lui-même, qui ne possédoit pas encore l'exemplaire du Paspalum virgatum que *Ledru* lui a communiqué depuis, avoit déja rapporté à cette variété la description de

Jacquin et la figure de *Sloane.* En voici au reste la description, en attendant que des observations plus étendues nous apprennent s'il convient de la distinguer comme espèce.

Cette plante, beaucoup plus petite que la précédente (Paspalum virgatum) dans toutes ses parties, a des tiges droites, jonciformes, garnies de feuilles roides, lisses, d'une médiocre largeur, ayant leurs bords repliés en dedans, et la pointe longue, dure, effilée. Les épis sont courts, nombreux, inégaux, droits et disposés en une grappe paniculée. Les fleurs, placées presque sur quatre rangs le long d'un rachis pileux à sa base, ont leurs valves calicinales ovales, obtuses, contenant une semence blanchâtre de même forme. Ces fleurs sont placées deux à deux sur un pédicule court. La fleur intérieure ou celle qui est appliquée contre le rachis

est plus petite que l'extérieure. Elle a été recueillie par *Commerson* à Monte-Video. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 31. sub Paspalo virgato.

III. *Walteri* Paspalum virgatum a nostro discernendum esse, eam ob causam probabile esse videtur, quod *Michausius* in Flora Americana nullam posterioris mentionem injicit.

Paspalum (virgatum) spica composita spiculis 10. f. 11. secundis, alternis, basi villosis, ordine quadruplici, pedunculis bifloris, culmo suberecto; calycibus aequalibus, foliis longis purpurascentibus intùs ad faucem subvillosis. *Walter. Fl. Carol. p.* 75.

---

* *Paspalus scrobiculatus* γ et δ.

Superest, ut species quasdam commemorem, quae uberiorem desiderant investigationem, tum quoque nonnul-

las, quae ab aliis scriptoribus falso in hoc genere numeratae sunt.

I. PASPALUM (decumbens) spica unica secunda, pedunculis longissimis, spiculis alternis orbiculato-acuminatis glabris, culmo procumbente. *Swartz. Prodr. p.* 22. — *Ejusdem Flor. Ind. occ. Vol.* 1. *p.* 138. — *Willd. Spec. Pl. Vol.* 1. *P.* 1. *p.* 333.

Cum praeter flosculum hermaphroditum neutrum quoque habeat, certissime Panicum est, quamvis Paspali habitum prae se ferat. Hujus synonymum est:

PASPALUM (nutans) spica unica nutante; flosculis alternis ellipticis hinc compressis glabris, folio villoso. *Lam. ill. gen. Vol.* 1. *p.* 175. (ex herbario auctoris.) *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 28.

II. PASPALUM (aristatum) panicula disticha secunda: florum valvula exterior sub apice breviter aristata. *Moench. Meth. p.* 178.

Si fides habenda est auctori, affirmanti Phalarin erucaeformem *Linnéi* huc pertinere, nullo pacto in hoc genere numerari potest, quum habeat glumas calicinas carinatas.

III. *Rottbôllius* tres Paspali species commemorat, a *Rolandro* ad genus CLEACHNE relatas, de quarum indole tamen nihil refert, solum usum indicasse satis habens:

1. PASPALUM ciliatum

vi deobstruente gaudet. Decoctum sarmentorum inprimis in Ictero flavo cum fructu usurpatur. *Rottbôll.* in *Act. lit. Hafn. a.* 1778. *p.* 235.

2. PASPALUM diffusum.

Hujus flosculis, semina, dum clausi sunt, referentibus, Columba maculata et passeres victitant. *Rottb. l. c.*

3. PASPALO decumbente

pascuntur oves, quibus hic terrarum Festuca ovina deest. *Rottb. l. c.*

IV. Cum hoc genere quoad formam et texturam calicis et corollae Milium effusum *Linnéi* convenit; attamen praeter inflorescentiae discrimen eo differt, quod corolla semen vestiens decidua et glumae calicinae florescentiae tempore patentes nec clausae sunt. *Lamarckius* ad Agrostin refert (Agrostis effusa *Lam. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 160.) ubi tamen propter corollam cartilagineam calicemque convexum nec carinatum locum habere non potest.

V. Suffragor *Willdenowio* suspicanti Phleum cochinchinense *Loureir.* Paspali speciem esse. *Loureirus* haec:

PHLEUM (cochinchinense) spica secunda, lineari, glabra.

Gramen 2½ - pedale: culmo tereti, gracili, suberecto. Folia subulata, longa. Spica secunda, simplex, linearis, longissima, glabra, erecta: receptaculo

communi ad unum latus articulate excavato, arcte includente singulos flosculos, quin promineant. Calyx 2-valvis, 1-florus, truncatus, cuspidatus.

Habitat spontaneum in Cochinchina. *Lour. Fl. Cochinch. Vol.* 1. *p.* 61.

VI. PASPALUM (ambiguum) spicis digitatis basi interiore nodosis, floribus geminis, vaginis foliisque glabris. *Decand. Syn. p.* 123.

est:

PANICUM (Ischaemum) spicis congestis, floribus ovatis obtusis pubescentibus, foliis vaginisque glabris, culmis prostratis. *Schreber* in *Schweigg. Fl. Erlang. Vol.* 1. *p.* 16.

VII. PASPALUM (appressum) spicis pluribus sessilibus alternis culmo appressis, floribus ovatis acuminatis bifariis. *Richard* in *Lam. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 176.

est:

PANICUM (brizoides) spicis alternis muticis appressis sessilibus; glumis ovatis mucronatis glaberrimis. *Lam. l. c. p.* 170. — *Enc. meth. Bot. Vol.* 4. *p.* 740.

VIII. PASPALUM (bicorne) spicis geminis longis subfiliformibus, flosculis alternis sessilibus, corollis hirsutis. *Lam. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 176. et

PASPALUM (bicorne) spicis geminis, longis, subfiliformibus, flosculis conjugatis, altero pedunculato; gluma exteriore apice ciliata. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 29.

sunt PANICI species SANGUINALI *Linnéi* maxime affinis.

IX. PASPALUM (dactylon) spicis subdigitatis linearibus, patentibus, floribus solitariis, culmis repentibus. *Lam. Ill. Vol.* 1. *p.* 176. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 32. et

PASPALUM (dactylon) spicis digitatis

basi interiore villosis, floribus solitariis, sarmentis repentibus. *Decand. Syn. p.* 123. satis differt a Paspalo et nunc audit:

CYNODON (Dactylon) *sarmentosum*, spicis digitatis patentibus, basi interiore villosis, floribus solitariis, sarmentis repentibus. *Richard* in *Perf. Syn. Vol.* 1. *p.* 85.

Quoad notas essentiales ab hoc mihi non differre videtur:

PASPALUM (umbellatum) spicis linearibus digitato - umbellatis, flosculis compressis acutis sessilibus, culmo repente. *Lam. Illustr. Gen. Vol.* 1. *p.* 177.

X. PASPALUM (sanguinale) spicis subdigitatis fasciculatis linearibus; floribus geminis, altero sessili. *Lam. Illustr. Gen. Vol.* 1. *p.* 176. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 1. *p.* 33. et

PASPALUM (sanguinale) spicis digitatis basi interiore nodosis, floribus geminis, vaginis foliisque papilloso-pilosis. *Decand. Syn. p.* 123.

sunt PANICUM SANGUINALE *Linnéi.* Lamarckii Varietas β est:

PANICUM (aegyptiacum). *Retz. Obs. bot. Fasc.* 3. *p.* 8.

XI. Addo aliquot species, quae an revera ab antea commemoratis differant, ulteriori examini ad dijudicandum relictum sit:

1. PASPALUM (laxum) spicis alternis, laxis: inferioribus pedunculatis; floribus ovatis pedicellatis geminis. *Lam. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 176. — *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 30.

Cette espèce, décrite par *Lamarck*, lui paroît se rapprocher beaucoup du Paspalum virgatum de *Linné*, mais non pas de la plante figurée dans *Sloane*

et citée par *Linné*. En effet, celle dont il est ici question a les épis grêles, distans, tandis qu'ils sont très-gros et rapprochés dans *Sloane*.

Sa tige est flexueuse, surtout aux dernières articulations. Elle est garnie des feuilles glabres, ensiformes, dont l'orifice des gaînes offre uue touffe de poils blanchâtres. Les épis, peu nombreux, sont alternes, écartés, les inférieurs pedonculés. Ils sont composés de fleurs ovales, géminées, sur un seul rang, et supportées par des pedicules courts. Le rachis est étroit, flexueux, velu à sa base. Cette plante, orginaire de l'Amérique méridionale, en a été rapportée par Richard. *Poiret. l. c.*

2. PASPALUM (coromandelianum) spicis alternis sessilibus, floribus orbiculatis bifariis glabris, rachi semi-septifera. *Lam. Ill. Gen. Vol.* 1. *p.* 175.—

Poiret in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 31.

Ses tiges sont droites, ses feuilles glabres, larges, striées; leur gaîne est souvent d'un brun pourpre, plus ou moins ciliée sur ses bords, brune, et velue à l'endroit des articulations. Les fleurs sont disposées en épis alternes, sessiles, un peu courbés; elles sont composées de valves calicinales arrondies, glabres, marquées de plusieurs nervures saillantes, relevées en bosse dans leur milieu. Les semences sont rondes, luisantes, d'un brun noir dans leur parfaite maturité, placées sur le rachis en un double rang, et comme dans autant de cloisons séparées par une demi-membrane. Cette plante croît dans les Indes et sur la côte de Coromandel. Dans les individus de cette espèce, communiqués par *Sonnerat* au

Citoyen *Lamarck*, les feuilles sont glabres. *Poiret. l. c.*

3. PASPALUM (dilatatum) spicis ternis, una sessili, alteris longe pedunculatis, flosculis quadrifariis secundis.

Cette plante est remarquable par ses épis plus larges que dans les autres espèces. Ses tiges sont droites, comprimées, enveloppées de feuilles glabres, nerveuses, elargies et munies à leur gaîne d'une membrane courte. Elles se rétrécissent insensiblement jusqu'à leur sommet, où elles se terminent en pointe d'alène. Les fleurs sont ovales, presque sessiles, unilatérales, disposées sur quatre rangs le long d'un rachis droit, glabre, étroit. Les épis sont larges, épais, alternes, au nombre de trois, dont deux sont portés sur un pédoncule assez long; le troisième est sessile. Cette plante a été recueillie à

Buenos-Ayres par Commerson. *Poiret* in *Enc. meth. Bot. Vol.* 5. *p.* 35.

Cum jam in eo essem, ut finem scriptioni huic imponerem, ecce! redduntur mihi literae a Doctissimo *Swartzio* Holmiensi, quae cum vel maxime ad nostram tractationem spectent, gratiam apud B. L. initurus mihi videor breviter adnotando, quae in iis vel rectius constituta vel apertius declarata sunt:

I. Paspalum dissectum *Thunbergii* pag. 76. commemoratum, proxime ad Paspalum scrobiculatum accedit, distinguitur vero spiculis duplo minoribus. Glumae sunt suborbiculatae, tri- ad quinquenerves, glabrae sicut

folia. Delineatio ad exemplar Jauense facta, quam Clarissimus *Swartz* mecum communicavit, sistit hanc plantam tribus spicis omnique Paspali scrobiculati habitu.

II. Dubitabam, an Paspalum distichum *Swartzii* (pag. 109.) prorsus congruat cum altera varietate Paspali vaginati. Jam Doctissimi *Swartzii* literae me edocuerunt, casu non ipsam, quam in Observationibus descripserat plantam, sed aliam (alteram puta Paspali vaginati varietatem) ad Clarissimum *Mertenſ.* transmissam fuisse. De illo *Swartzii* Paspalo disticho autem omnis dubitatio exemta est, cum verae speciei exemplar, ab ipso *Swartzio* mecum communicatum, plane evincat, esse meum Paspalum notatum. Ceterum quae pag. 106. ad describendam hanc plantam dixi, nunc ita correcta velim:

Radix, ut mihi videtur, perennis.

Culmus etiam erectus occurrit.

Vaginae carinato-compressae: superiores remotae etc.

In descriptione *Swartzii* (Obſ. bot. pag 35.) typothetae vitio legitur *vaginae basi*, pro eo quod esse debebat, *fauce pilosae.*

III. Quod pag. 130 de conjectura dixeram, Paspalum villosum *Thunbergii* Paspalo punctato proxime affine esse, jam pro certo affirmare possum, postquam procurante amicissimo *Swartzio* ab ipso doctissimo *Thunbergio* plantae fragmentum accepi. Notas video has:

Rachis partialis spiculis triplo angustior, villosa, margine pilis longis crebrisque ciliata.

Pedicelli hirsuti, pallescentes, unicolores, apice capituliformes.

Spiculae ovatae, acuminatae, albidae, duplo fere majores quam in Paspalo punctato.

Glumae aequales, pubescentes, quinque-ad septemnerves.

Valvae acutiusculae, mucrone destitutae, transversim rugosae, glumarum fere longitudine.

IV. Paspalum dissectum, cujus clarissimus *Swartzius* in Paspalo filiformi (Fl. Ind. occ. Vol. 1. p. 137.) mentionem facit, non id est, quod sub eodem nomine apud *Linnéum* occurrit, sed Paspalus, quem caespitosum ego appellavi. *Swartzius* in literis addit, etiam erectum et caespitosum reperiri; atque profecto neque in

ejus neque in *Willdenowii* aut *Mertensii* et *Poitavii* exemplaribus aliter comparatum vidi.

R E I M A R I A.

REIMARIA.

CHARACTER NATURALIS.

CALIX. Gluma solitaria, uniflora, mutica, valvae corollae planiori appressa.

COROLLA. Valvae duae, cartilagineae, muticae: interior convexa exteriorem planiorem amplexans.

STAMINA tria. Filamenta capillaria. Antherae utrinque emarginatae.

PISTILLUM. Ovarium subcompressum. Styli duo, filiformes. Stigmata penicilliformia.

SEMEN plano-convexum, corolla corticatum.

CHARACTER ESSENTIALIS.

Calix uniglumis, uniflorus, valvae planiori appressus. *Corolla* plano-con-

vexa, bivalvis, *semen* corticans *Stigmata* penicilliformia.

Obs. Paspalo affinis, at satis superque differt calice constanter uniglumi nec biglumi.

ETYMOLOGIA NOMINIS.

Novum hocce genus dixi in memoriam Viri Praeclarissimi, Amici aestumatissimi, JOANNIS ALBERTI HENRICI REIMARI, Medicinae Doctoris, Professoris Historiae Naturalis apud Hamburgenses.

SPECIES.

1. REIMARIA CANDIDA.

Diff. spec. R. spicis pluribus; rachi carinata spiculis latiore; gluma oblonga, obtusa; foliis planis, pubescentibus.

SYNONYMUM.

Reimaria candida. *Humboldt* et *Bonpland.*

DESCRIPTIO.

Radix mihi non visa.

Culmus bipedalis aut longior.

Nodi pubescentes.

Vaginae glabrae, internodiis breviores.

Ligula exserta.

Folia lineari-lanceolata, plana, utrinque pubescentia, margine ciliata.

Spicae viginti quinque ad triginta, confertae, geminae, rarius solitariae: inferiores ternae aut quaternae.

Rachis universalis circiter quadriuncialis, apicem versus scabra: axillis pubescensibus.

Raches partiales spiculis duplo saltem latiores, laete virides, carinatae, acuminatae, multinerves: nervis scabris; inferiores unciales; superiores dimidio breviores.

Pedicelli solitarii, brevissimi.

Spiculae octo ad sedecim, oblongae, obtusae, lacteae, simplici serie imbricatae.

Gluma trinervis, glabra, valvarum longitudine.

Valvae aequales, laevigatae.

Antherae purpureae.

LOCUS NATALIS.

Prope Puanbo in America meridionali. *Humboldt* et *Bonpland*.

2. REIMARIA ELEGANS.

Diff. spec. R. spicis subtribus; rachi plana, spicularum latitudine; gluma obovata, obtusa; foliis convolutis, pilosis.

SYNONYMUM.

Reimaria elegans. *Humboldt* et *Bonpland*.

DESCRIPTIO.

Radix nondum cognita.

Culmus circiter semipedalis, erectus, simplex, superne nudus, filiformis.

Nodi tres, subpubescentes.

Vaginae internodiis breviores, pubescentes: suprema longissima, glabriuscula.

Ligula vix conspicua.

Folia angusta, linearia, convoluta, pilosa.

Spicae duae tresve, approximatae, alternae.

Rachis universalis tres ad quinque lineas longa: axillis barbatis.

Raches partiales unciales ad sesquiunciales, spicularum latitudine, planae, laeves, apicem versus praesertim flexuosae.

Pedicelli solitarii, brevissimi, subpubescentes.

Spiculae obovatae, obtusae, bifariam imbricatae.

Gluma glabra, quinquenervis, pulchre rubens.

Valvae cerinae, laevigatae, glumae longitudinis.

LOCUS NATALIS.

Cumana. *Humboldt* et *Bonpland.*

3. REIMARIA ACUTA.

Diff. spec. R. spicis subquaternis; rachi triquetra, spiculis angustiore; gluma lanceolato-subulata; foliis convolutis, pubescentibus.

SYNONYMUM.

Reimaria acuta. *Humboldt* et *Bonpland.*

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa.

Culmi sex- ad novemunciales, basi saepius geniculati, subramosi, decumbentes.

Nodi superiores glabri: inferiores pubescentes, radicantes.

Vaginae laxae, internodiis breviores, fauce barbatae: inferiores pilosae: superiores glabriusculae.

Ligula vix perceptibilis.

Folia angusta, linearia, carinato-convoluta, tenuissime pubescentia.

Spicae quatuor aut quinque, alternae.

Rachis universalis laevis, quatuor ad sex lineas longa: axillis nudis.

Raches partiales unciales aut paullo longiores, triquetrae, spiculis duplo saltem angustiores, margine serrulato-ciliatae.

Pedicelli solitarii, brevissimi.

Spiculae septem ad decem, remotiusculae, lineari-lanceolatae, valde acuminatae.

Gluma trinervis, virescens, margine piloso-ciliata, corollae valva interiori aliquanto brevior.

Valvae stramineae, obscure nervosae: interiore paullo longiore.

LOCUS NATALIS.

America meridionalis. *Humboldt* et *Bonpland.*



INDEX.

Finis partis primae.

